ALOYSII CUCCAGNI
TIFERNATIS

DE MUTUIS ECCLESIÆ ET IMPERII OFFICIIS ERGA RELIGIONEM ET PUBLICAM TRANQUILLITATEM

TRACTATUS

Ubi expenduntur, & refutantur principia, quibus nititur Opus de Tolerantia Ecclesiastica & Civili Ticini editum an. 1783.

Ad Excellm̃um & Rm̃um Præsulem Pontificiæ Domus

PRÆFECTUM


Ac SSm̃i Dñi N. PAPÆ PII SEXTI ex Sorore

NATUM

D. ROMUALDUM

BRASCHIUM HONESTIUM.








ROMÆ SUPERIORUM PERMISSU



PROSTANT APUD JOANNEM ZEMPEL
ET BOUCHARD ET GRAVIER.

Specioſum quidem nomen eſt pacis, & pulcra eſt opinio Unitatis: ſed quis ambigat eam ſolam Eccleſiæ atque Evangeliorum Unitatem, pacem eſſe, quæ Chriſti eſt?

S. Hilar. Pictav. lib. contr. Auxent. Mediol. in princip.



ROMVALDO.HIERON. FIL. BRASCHIO. HONESTIO

PII . VI. P. M. NEPOTI

SACRO • ORD • HIEROSOLYMIT • IN • ROM • PROVINCIA

ET • DOMVI • PONTIFICIAE

PRAEFECTO

PONTIFICIS • MAX • ET • INLVSTRIVM • MAIORVM

IMITATORI • OPTIMO

SVAVITATE • MORVM • VITAE • INTEGRITATE

MENTIS • PRAESTANTIA

IVRIS • DICVNDI • AEQVITATE

IN • EXIMIO • HONORVM • GRADV

SINGVLARI • MODERATIONE • ET • CONSTANTIA

SPECTATISSIMO

ALOYSIVS • LAVREN • FIL • CVCCANIVS • TIFERNAS

PATRONO • BENEMERENTISSIMO

L. L. M

D. D

ADPROBATIO.

DOlebam sane, & vehementer angebar Thaddaeum ex comitibus de Trautmansdorf, quem summa animi mei iucunditate ad sacrum Subdiaconatus Ordinem evexeram, ab optimorum praeceptorum institutionibus descivisse, totumque, quod ab illis in eo magnis laboribus exaedificatum fuerat, cum basi ipsa penitus concidisse. Alumnus is celebris toto Orbe Gregoriani collegii Germanici fuerat, ac idem nondum ob temporum vicissitudines absoluto studiorum curriculo, repente scriptor libri prodiit; sed heu cuiusnam libri? Eius scilicet, in quo de gravissimis rebus differitur, sed ita, ut quod de Arnaldi Brixiensis, ac sectatorum libris ad Innocentium II. scribens querebatur S. Bernardus *novum cudatur populis, & gentibus evangelium, nova proponatur Fides, fundamentum aliud ponatur praeter id, quod positum est*. O factum male! iuvenem liberaliter educatum, ut vanam acuti, ingeniosique viri gloriolam aucuparetur, praeclarissimae gentis suae laudibus obscuritatem afferre non esse veritum. Verum perlegat nunc saltem pacato animo Tractatum hunc Aloysii Cuccagni viri clarissimi *de mutuis Ecclesiae & Imperii officiis erga religionem & publicam tranquillitatem*, nec non Laminii theologi Argivi epistolas, omnia adtente perpendat, videat quam facile specie recti imponi sibi, atque adeo illudi passus sit & Synesium meum Cyrenensem, episcopum Ptolemaidis audiat eadem, quae olim ad Johannem perscripsit, ipsi oggerentem: *Nunc si non affinis culpae, audis male; sane quidem infelix es, non tamen es improbus, ac utinam ne miser quidem esses*: tum vero ipsum, a quo per summam iniuriam deceptus est, tot mendaciorum & sophismatum consarcinatorem admoneat cum S. Hieronymo: *Responde ad singula ..... ne punctum quidem & apicem calumniae transeas. Si enim negligenter egeris & casu aliqua transieris, statim ille clamabit*

mabit & dicet: hic hic te victum teneo, hic totius negotii cardo versatur. Quod ad me attinet, cum has lucubrationes a Rm̃o P. Fr. Thoma Maria Mamachio S. P. A. Magistro examinandas acceperim, & in eis omnia repererim tum Fidei catholicae, tum bonis moribus consona, dignas censeo, quæ contra importunos adeo Ecclesiæ turbatores publicam in lucem educantur. Ex aedibus S. Callisti 24 Novembris 1785.

Petrus Aloysius Calletti Ordinis S. Benedicti Congregationis Casinensis Episcopus Cyrenensis.

ADPRO-

ADPROBATIO.

LIbrum, cui titulus eſt = De mutuis Eccleſiæ & Imperii Officiis erga Religionem, & Publicam tranquillitatem = de mandato Rm̃i P. Mag. Sac. Pal. Th. Mamachi attentè perlegi. In eo Cl. Auctor Aloyſius Cuccagni multiplici tum eruditionis, cum doctrinæ genere jura, & officia utriuſque poteſtatis perſcrutatur, & explicat, & laudabili ſtudio nititur ſimul conciliare. Quouſque etiam ſe extendant limites tolerantiæ tam eccleſiaſticæ, quam civilis ad ſartam tectam tuendam Publicam tranquillitatem diſſertè exponit. Nihil verò reperi aut Catholicis Dogmatibus adverſum, aut bonis moribus diſſonum. Quare dignum cenſeo, qui typorum ope publici juris fiat. Romæ in Conventu S. Mariæ in Via 21. Nov. 1785.

Fr. Gregorius Maria Clementi Procurator Generalis Ord. Serv. Mariæ, & Epiſcoporum coram SSm̃o Examinator.

ADPROBATIO.

QUum ea ſit Chriſtianæ Religionis indoles atque natura, ut imperio ita uniatur atque conſocietur, ut firmitas unius in firmitatem ſtabilitatemque alterius influat: ex quo duplex ſubjectio ſponte ſua naſcitur, & duplex Obedientia; itemque nexus Religionem inter & Imperium firmiores quoque dignoſcuntur; Hinc ſtudium ſatis commendare nequeo quo Vir Cl. *Aloyſius Cuccagni Tifernas* in Opere *De mutuis Eccleſiæ & Imperii officiis erga Religionem, & publicam tranquillitatem* ſumma eruditione concinnato, hæc demonſtrare aggreſſus eſt. Et cum ad præſcriptum Religionis noſtræ dicta ſint omnia; ideo imprimi poſſe cenſeo ſi videbitur &c.

Romæ in Monaſterio S. Bernardi 6. Novemb. 1785.

D. Joſeph. Fontana Ord. Ciſterc. Congregat. S. Bernardi Sacræ Theologiæ Lector.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Sacri Palatii Apost. Magist.

F. A. Marcucci ab Immac. Concept. Patriarch. Constant. Episc. Montis-Alti, ac Vicesg.



IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Maria Mamachius Ord. Præd. Sac. Palat. Apost. Magist.

PROŒMIUM.

Differentibus nobis de mutuis Ecclesiæ & Imperii officiis erga religionem, nemo non videt omnem fere disputationem nostram de Religione aliquo modo futuram esse. Sit ergo.

CAPUT I.

De vera Religione & de iis quibus eam dederit Deus ministrandam.

I. Religio nihil aliud est quam cultus ab hominibus Deo præstitus, quo docti sunt ipsi ab eodem sperare Cælestia & terrena despicere (1). Cum enim Deus hominem condidisset duplici natura compactum, corpore scilicet & spiritu, eumque ratione ac libertate donasset, ut sese divinæ mentis Archetypo suas conformaret actiones, docet fides hominem Formatoris manu prodeuntem, suam originali peccato naturam vitiasse, ac proinde in corruptionem delapsum, suam religionem non esse moderandam ad instar dispositionum cordis humani; sed e contrario homines regendos esse per ideam, seu spiritum Religionis, quæ in Divina Revelatione fundatur. Tota ergo religio nostra est veluti officiorum codex, quæ nobis imposuit Deus erga se, in quibus nulla mutatio nobis permissa est. *Omnis vitæ bonæ* (ait S. Augustinus) *ac beatæ via, in vera religione est constituta, qua unus Deus colitur, & purgatissima pietate cognoscitur* (2). Hinc pereunt regna, extinguuntur imperia,

A

(1) Vid. Constantini Imp. Orat. cap. 21. apud Euseb.

(2) August. de Ver. Relig. c. 1.

ria, Regiminis forma Imperialis funditus aliquando mutatur, sed nunquam ab hominibus mutari ullo modo potest Religio, quæ a Deo sit hominibus data. Præterea Philosophorum dogmata; quamquam ab Imperiali potestate minime pendere dicantur, tamen oblivione sæpe delentur, ac innumeras patiuntur vicissitudines, propterea quod sunt humanæ rationis inventa, ac ideo semper dubitabilia ac semper nova. *Non enim omnes Philosophi*, ait Theodoretus, *eadem via incesserunt, neque præcedentium vestigia consectati sunt, sed proprias sibi vias quisque fecerunt & innumeras excogitarunt*. (1) Quare Ægyptius ille Sacerdos merito illudebat Soloni, dicendo; *O Solon, Solon, vos Græci, pueri semper estis, senex autem Græcorum nemo; nulla est enim apud vos disciplina quæ senio incanuerit*. (2) Quibus ergo Divinitus data est custodienda revelatio, iis concreditam esse totam religionis administrationem opus est ut fateamur; Itaque Chrysostomus sapientissime scripsit = *Quidquid concreditum habet Sacerdos, solius Dei donum est; & ubi humanam exercet sapientiam, minor illius gratia apparet*. (3)

II. Ex istiusmodi veritatis doctrina aliæ regulæ prodeunt, quæ ad propositum finem recte conducunt. Cultus enim qui summo factori rependitur, non est contemplativus tantum, sed etiam profluit in actionem; *quia finis ejus est Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta* (4); & quia ab amore Dei & proximi tota lex pendere dicitur & Prophetę. Ex duplici ergo amore in Deum & in proximum quemadmodum duplex agendæ vitæ nascitur ratio, ita duplex suboritur etiam cultus quem jure debemus præstare

(1) Theod. Græc. Affect. Curat. Serm. 2. *de Principio* sub init.
(2) Apud Theod. ibid. Serm. 1. de Fide.
(3) Chrys. in Joan. Hom. 85. in fin.
(4) August. Confess. lib. 12. c. 18.

ſtare Deo; interior ſcilicet & exterior, quorum alter ita fundatur in altero, ut inter ſe diviſi eſſe non poſſint (1). *Ita fit homo ſpiritualis omnia judicans*, (ait Auguſtinus) *ut ipſe a nemine judicetur, diligens dominum Deum ſuum in toto corde ſuo, in tota anima ſua, in tota mente ſua, & diligens proximum ſuum non carnaliter, ſed tanquam ſeipſum. Se autem ſpiritualiter diligit, qui ex toto quod in eo vivit Deum diligit* (2). Colitur ergo Deus non per ſolum interioris hominis ſacrificium, per fidem ſcilicet, per domitos inordinatos animi motus, & per inviſibiles actus amoris; quibus in rebus ea tota ſita eſt, quæ interior dicitur diſciplina, interior cultus & Religio; ſed colitur etiam per ſacrificium altaris, per hoſtiam pacificationis Deo oblatam, per morum exercitationes & conſuetudines, per Sacramentorum adminiſtrationem, per miniſterium verbi, per beneficentiam & bonitatem erga cunctos homines, & per ea omnia quę redolent praxim Eccleſiæ, ſacros ritus, & exteriorem diſciplinam.

III. Homo igitur exterior ab homine interiore ita pendere intelligitur, ut interior non poſſit ipſe per ſe cum exteriore pugnare, exterior vero ſi adverſetur, agi contra rerum ordinem atque naturam (3). Attamen Religio cum eſſe debeat aliquid viſibile & omnibus patens, idque hominem tam exteriorem quam interiorem debeat reſpicere; eoque inſuper modo atque ratione, ut quæ interior eſt religio, norma ſit exterioris, neque illa poſſit unquam pugnare cum iſta, etiamſi hæc poſterior adverſetur aliquando priori, atque ſuppetat nobis lex illa membrorum quæ,pugnat cum lege mentis; hinc patet iis concreditam eſſe Divinitus

(1) Vid. Greg. Pap. in Ezech. hom. 18.
(2) Auguſt. de ver. Relig. cap. 12.
(3) Vid. Auguſt. ibid. cap. 41.

exteriorem disciplinam, quibus interior data est dirigenda atque emendanda. Habet enim Ecclesia Christi suam exteriorem formam independenter a qualibet Civili potestate; propterea quod visibilis est Ecclesia tum regimine tum ritibus;& Christus auctor & fundator Ecclesiæ,ejusque Legislator non potest supponi minus sapiens Legislatoribus regni temporalis,qui formam exterioris Regiminis præscribere satagunt. Hinc de Marciano Augusto optime scripsit Facundus. „ Cognovit ille, quibus in causis uteretur principis potestate, & in quibus exhiberet obedientiam Christiani. Et ideo, ne impius atque sacrilegus videretur, post tot sacerdotum sententiam opinioni suæ nihil reliquit. Sicut qui meminerat exitus Oziæ, qui postquam prævaluit multis gentibus, & factus est gloriosus, exaltatum est cor ejus, ut incensum poneret super altare, quod non licebat nisi solis sacerdotibus filiis Aaron. Propter quod ejus obstinatissimam frontem, quam reverentia deseruerat, lepra confudit. Sciens igitur ille modestissimus Princeps, Oziæ regi non impune, quia sacrificare præsumpsit, quod licitum est singulo cuique etiam secundi Ordinis Sacerdoti: multo magis impune sibi cedere non posse cognovit, vel quæ jam de fide Christiana rite fuerant constituta discutere, quod nullatenus licet, vel novos constituere canones, quod nonnisi multis & & in unum congregatis primi ordinis sacerdotibus licet „. (1)

IV. Itaque ritus & Disciplina quædam exterior sunt veluti *Appendices Religionis*, sive *accessoria quædam*, ita cum Religione conjuncta, ut necessario sequantur naturam & conditionem illius. Ergo hæc omnia æque ac Religio Sacerdotibus intelliguntur Divinitus commissa

(1) Facund. Hermian. lib. 12, c. 3.

missa, non autem regibus & magistratibus terræ, quibus data non est revelatio divina „ *Ce n' etoit point a*
„ *vous, dit* le Grand-Prêtre à Osias Roi de Juda, *de*
„ *brûler de l' encens devant le Seigneur* = Cette de-
„ fense ne regard pas seulement les fonctions du Cul-
„ te, mais toutes celles qui sont attachèes au saint
„ ministere. „ (1) Et cum homines non valeant mutare Religionis naturam, igitur neque vim seu potestatem habent a Sacerdotibus, quibus tota concredita est, ad Summum Imperantem transferre. Quare falsum omnino est quod cum Bohemero, aliisque viris hæreticis docet auctor libri Ticinensis de Tolerantia, exteriorem scilicet religionem, etiam in Christianorum Ecclesia, ut infra videbimus, ad summum Imperantem pertinere. Quasi Sacerdotibus id tantum mandaverit Deus, quod interiorem hominem ferit, vel eumdem sola interiora ferirent, nihil vero exteriora, itemque excluderet Christus quamlibet exteriorem Ecclesiæ Politiam! Hinc est quod Clarissimus Bossuetus ajebat = „ Les Mandemens, Ordonnances, Censu-
„ res, statuts Sinodaux, & autres Actes juridiques,
„ *qui n'ont jamais* ètè sujets à l'examen de M. le Chan-
„ celier, & ne le peuvent être, sans soumetre la do-
„ ctrine de la Foi & toute la discipline Ecclesiastique
„ á la Puissance Seculiere &c. „ (2). Ante Bossuetum vero idem docuerant in Gallia Almainus & Richerius „ *Non loquimur de dominio, quod habent Ecclesia-*
„ *stici super peccata &c... Sed loquimur de dominio*
„ *quod respicit forum exterius & publicum, & est po-*
„ *testas a Christo immediate instituta ad coercendum fi-*
„ *deles ad vivendum secundum leges Evangelicas,*

A 3 „ *pro*

(1) Gauchat. Lettres Critiques tom. 14. lettre 145.

(2) Bossuet Memoires sur l'impression des Ouvrages des Eveques V. Memoire.

„ *pro consecutione felicitatis æternæ, & hæc potestas* „ *potest exerceri in invitum*. (1)

V. Verum quidem est Christianam Religionem hominibus a Deo datam, ut studiis optimis rerum æternarum formarentur mores, ut ad ultimum finem Spiritus eorum perduceretur, Deumque colerent homines in Spiritu & veritate. Sed hæc omnia quemadmodum probant Religionem præsertim respicere animorum conscientiam, & spiritualem illam regulam, quæ ad Deum hominem perducit, ita evidentissima ratione demonstrant, Principes Temporales quibus minime datæ sunt regendæ animæ hominum, nullam auctoritatem aut jurisdictionem habere in hominem interiorem, neque in Religionem, quæ ut concedit ipse Coccejus longissime excedit fines potestatis humanæ (2). „ Hæc ergo cœlestis Civitas, *ait S. Augusti*- „ *nus*, dum peregrinatur in terra, ex omnibus genti- „ bus cives evocat, atque in omnibus linguis pere- „ grinam colligit societatem, non curans quidquid in „ moribus, legibus, institutisque diversum est, qui- „ bus pax terrena vel conquiritur, vel tenetur; ni- „ hil eorum rescindens, nec destruens; imo etiam ser- „ vans ac sequens: quod licet diversum in diversis na- „ tionibus, ad unum tamen eumdemque finem terre- „ næ pacis intenditur, si religionem qua unus summus „ & verus Deus colendus docetur, non impedit. Uti- „ tur ergo etiam Cœlestis civitas in hac sua peregri- „ natione pace terrena, & de rebus ad mortalem ho- „ minum naturam pertinentibus, humanarum volun- „ tatum compositionem, quantum salva pietate ac re- „ ligione conceditur, tuetur atque appetit, eamque „ terre-

(1) Almain lib. 4. p. 8. Vid. Edmund. Richer. de Eccles. & politic. potest. c. 2. p. 8.

(2) Coccej. super Grot. Tom. 4. pag. 17. vol. 2. edit. Lausan 1759. Vid. Bossuet ubi supra.

„ terrenam pacem refert ad cœleſtem pacem „ (1). Verumtamen probavimus ſuperius ea,quæ Religionis exteriora ſunt,ab interioribus omnino pendere,earumque naturam ſequi & conditionem. Quæ vero deinceps diſputata ſunt, probant tam exteriora quam interiora Religionis, non cadere ſub judicium & rationem Summorum Imperantium, ſed Sacerdotum quibus Chriſtus totam Religionem concredidit. Inſuper Religio Chriſtiana magna ex parte ita exterior eſt, ut Eccleſia Chriſti, quæ totius Religionis facta eſt *depoſitaria*, quamquam hominum conſcientias dirigendi jus habeat onuſque, nequeat tamen judicare & ſententiam dicere de homine interiore, deque intrinſeca ſua Religione, niſi ipſa interior evadat. De internis vero donec interna manent, ad ſolum Deum qui eſt ſcrutator cordium judicium eſt reſervatum.

VI. Ea ergo quæ vera Religio eſt, non aliquid humanum, neque humana inſtitutio eſt, quæ pro ſuo arbitrio ſit ab hominibus conſtituta, quæque humanæ Societati ſubjaceat, uti non ſemel noſter Ticinenſis ſupponit, ſed eſt immediate a Deo ſelectis hominibus data & concredita, non ad modum Naturæ, ſed ad modum Gratiæ, ut ipſi cęteros homines per mundum univerſum docerent. Patent hæc omnia ex facto atque doctrina Chriſti & ſuorum Apoſtolorum. Etenim Chriſtum quamquam diceret regnum ſuum non eſſe de hoc mundo, tamen ejuſdem Natalis Dies renunciatur tanquam Natalis Regis = *Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum?* (2) & ſe Regem eſſe ipſe confeſſus eſt iterum iterumque. (3) De ſeipſo autem dixit in parabola contra Judæos = *Verumtamen inimicos meos illos,qui noluerunt me regnare ſuper ſe; adducite huc & inter-*

 ficite

(1) Auguſt. de Civit. Dei lib. 19. c. 17.

(2) Matth. Cap. 2. Ver. 2.

(3) Matth.c.17.v.24.Joan. c.18. v.37. & alibi. Luc.17.v.38.

ficite ante me. (1) Insuper turbæ Regem salutarunt(2). Dixit se dominum, quando misit Discipulos, ut Asinum ducerent, & quando interrogatus a Judæis in qua potestate operaretur, respondit se non teneri ipsis rationem reddere, cum esset Dominus vineæ (3). Ulterius præcepta dedit de omni genere officiorum hominis & Civis; Leges præscripsit ad regimen Imperii & Reipublicæ administrationem; ac omnia Apostolis & Sacerdotibus suis vel per se vel per Spiritum Sanctum tradidit, ut eadem communicarent cunctis populis. Eosque propterea vi quadam Spirituali firmavit, & auctoritate munivit, ut diceret *cum steteritis ante reges & præsides*, nolite cogitare quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, cum sit Spiritus Sanctus qui loquitur in vobis. Qui ergo *recipit vos, me recipit* (4). *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit* (5).

VII. Quare Apostoli utentes hujusmodi potestate Divina, leges præscripserunt Clericis & Laicis, viris & mulieribus, filiis & parentibus, divitibus & pauperibus, virginibus & conjugatis, juvenibus & senibus, Principibus & subditis, servis & dominis, emptoribus & venditoribus, cæterisque omnibus cujuscumque generis sint, ordinis & conditionis (6). Ac ideo tenetur quisque obedire Episcopis & Sacerdotibus æque ac principibus & Regibus, quibus communi Patrum sententia sunt etiam præstantiores = *Oportet enim*, ajebat S.Policarpus, *Subjici Presbyteris & Diaconis tanquam Deo & Christo* (7) Antiquissimus vero auctor Apostο-

(1) Luc. Cap. 19. v. 27.
(2) Ibid. v. 38.
(3) Luc. Cap. 19. v. 30.
(4) Matth. cap. 10. v. 40.
(5) Luc. c. 10. v. 16. &c. c.12. v. 11. & 12.
(6) Vid. Epist. Petri & Pauli ad Ephes. Cap. 5. & 6.
(7) Policarp. epist. ad Philip.

Apoſtolicarum conſtitutionum ſcribit = „ Quanto „ igitur anima præſtat corpore, tanto Sacerdotium „ Regno: ligat enim ac ſolvit prout quis pœna vel „ venia dignus eſt. Quare Epſcopum diligere ut pa- „ trem debetis, vereri ut Regem, honorare ut Domi- „ num „ Antea vero dixerat = „ *Principum ac Regum loco vobis præeſſe exiſtimate* (1). Igitur Epiſcopi Galliarum in Comitiis habitis an.1755. ita Chriſtianiſſimo Regi loquuntur adverſus illos, qui haud recte ſentiunt de Divina Eccleſiæ jurisdictione & libertate. „ La Juriſdiction ſpirituelle de l'Egliſe eſt méconnue; „ les Tribunaux ſéculiers en fixent les bornes ſelon „ leurs intérêts, comme ſi ces bornes immuables fixé- „ es par Jeſus-Chriſt même, pouvoient être reſtrein- „ tes par leur autoritè (2). Et anno 1760. inſuper dixerunt. „ Nous manquerions à la fidélitè que nous vous „ avons jurée, au devoir le plus eſſentiel du miniſtere „ Apoſtolique qui nous eſt confiè, à l' attente de tou- „ tes les Egliſes, & particuliérement des Provinces „ qui nous ont députes, ſi nos répréſentations auſſi „ fortes que reſpectueuſes, ne portoient pas aux ore- „ illes de voſtre Majeſté les cris douloureux de la Re- „ ligion. Elle ſouffre, Sire, dans l'autorité du Tribu- „ bunal ſuprême établi par ſon Fondateur, dans la „ ſainteté de ſes Sacrements, dans le dépôt de ſa Do- „ ctrine, dans l'ordre de ſa hiérarchie, dans les regles „ de ſa Diſcipline: ajoutons, pour réunir ſous un même „ point de vue, tous les traits dont elle eſt bleſsée, dans „ l' unité de ſon ſacrifice de ſes prieres, de ſa litur- „ gie, & juſques dans les fondements du culte qu' „ elle rend au Createur, de la Morale qu' elle enſei- „ gne,

(1) Conſtit. Apoſt. lib. 33. & 34. Vid. Chryſ. hom. de verbis Eſaiæ. De Sacerd. lib. 3. c. 1. & alibi Sozom. lib. 2. cap. ult. alioſque paſſim.

(2) Proceſ. Verbal pag. 352.

„ gne, de peines & rècompenses qu' elle annonce; & „ toutes ces atteintes, (qui pourroit le croire?) c'est „ dans un Royaume très-chrétien qu' elle les éprouve „ (1). Plura hic afferri possent vel forsitan etiam majora ad rem hanc magis magisque confirmandam, sed iis supersedere melius esse putavi; ut crebris vitatis repetitionibus, in sequentibus capitibus fierent clariora.

CAPUT II.

De Nullo jure summorum Imperantium in Sacra Religionis Christianæ juxta placita Philosophorum, qui sunt magni nominis, præsertim apud Ecclesiæ Catholicæ adversarios.

I. Ticinensis Auctor, cujus doctrinam refutare opus est, contrarium decernit. Peragens enim cap. 14. de Tollerantia Civili sic loquitur „ Si de Religione universim loquamur dubitari non potest de „ jure Regiæ Majestatis in sacra. Sufficit attentionem „ convertere in regiæ Majestatis originem & obje- „ ctum. Inde enim ortam esse intelligitur societatem, „ quod cum singuli homines naturæ insuperabili in- „ stinctu velint esse beati...... in unam plurium „ societatem coire decreverunt, ut mutuis subsidiis „ expleta cujusvis indigentia, omnes ea felicitate po- „ tirentur, quam incessanter quærunt..... Quare „ jubente quodam modo natura, societas inita est. Si „ enim ut homines felicitatem quærant, ea imperat, „ jure etiam det omnia oportet, sine quibus felicitas „ comparari non potest. Ex quo patet Societatis con- „ silium & objectum esse felicitatem ac securitatem „ socio-

(1) Procef. verb. pag. 202.

„ sociorum . . . . Quod ut facilius homines asse-
„ querentur, publicam potestatem, sive personam
„ aliquam vel singularem, vel moralem eligere de-
„ creverunt, in quam Cives jura transferrent, ac cu-
„ ram administrandæ totius societatis; ad quam nem-
„ pe spectaret actiones singulorum ad bonum dirige-
„ re, omniumque felicitatem debitis mediis promo-
„ mere. Is autem cui voluntate populi delata est cura
„ publicæ quietis ac felicitatis, *Summus Imperans aut*
„ *Princeps dicitur*; atque ad hunc spectare intelligi-
„ tur, jus & administrationem rerum omnium, quæ
„ ad publicam tranquillitatem pertinent . . . Constat
„ enim religionem adeo esse cum bono societatis con-
„ nexam, ut sine illa societas consistere nequeat. Est
„ enim Religio arctissimum vinculum, qua societas
„ colligatur; a quo vim suam mutuantur pacta, fæde-
„ ra, conventiones; & quo dissoluto, pietas omnis
„ intercidit; eaque pereunte, probitas, honestas, vir-
„ tus omnis extinguitur . . . . Jam vero cum tanta sit
„ religionis cum Reipublicæ securitate connexio,
„ *concipi omnino non potest nisi absurdissime, nul-*
„ *lam in ejus regimine partem habere Principem*; pe-
„ nes quem tota residet cura & administratio publicæ
„ quietis . . . Quare inepte prorsus & immerito ab eo
„ ablegabitur *jus in sacra, sive in Religionem*, cui ma-
„ xime alligata est securitas publica. Ergo si ge-
„ neratim de religione loquimur, si Principem specta-
„ mus prout Princeps est, erit in eo jus circa doctri-
„ nam publicam, circa cæremonias, ritusque quibus
„ Divino Numini exhibendus est honor; ejus erit sta-
„ tuere communibus suffragiis religionem publicam;
„ eritque Religio in Civitate tanquam publica Lex,
„ ex qua hominum actiones ad cultum Dei externum
„ dirigantur; atque hujus sacerdotes a cæteris Rei-
„ publicæ ministris non differrent, atque adeo eorum

„ electio, muneris prǽscriptio, ac totius exterioris
„ regiminis administratio ad Summum Imperantem
„ spectabit „ Sic ille §. 2., & 3. Verumtamen concludit capite 15. sequenti §.1. „ Ex iis enim constare ar-
„ bitror religionem Potestati Civili non subesse, nisi
„ quatenus eadem influit in publicam societatis quie-
„ tem ac bonum.

II. Miror Ticinensem Auctorem, qui ut alibi videatur S.Augustini Discipulus, ne nomen quidem tolerat Naturalis Religionis in statu naturę lapsæ, nunc vero cultum Deo exhibendum, totamque Religionem rem politicam facere, eamque Religionem vocare! Quasi solis humanis legibus, & sine fide possibile esset placere Deo! Quam vehementer increparet Ticinensis doctrinam Gallus ille scriptor Bonus Franciscus Rivierus, alias de Pelvert, qui contra distinctionem Religionis Naturalis a revelata calamum vehementer acuit! Quem propterea magni faciunt Editores Opusculorum Pistoriensium, referentes in quinto volumine priorem ipsius epistolam, quæ tota est de hac re. Verum nostra non refert quid ille senserit, cum nihil hic negotii sit hujusmodi causam cognoscere. Sufficit enim id adnotasse, ut magis magisque appareat ea in uno homine inconstantia doctrinæ, quæ alibi observata est. Contra vero interest, ut nihil hæc nostra legentibus occurrat, quod non sit vel ratione compertum, vel auctoritate probatum. In primis ergo probatissima est doctrina illa, quæ docet, quemadmodum mentem triplici modo posse considerari, in ordine scilicet ad Deum, in ordine ad se, & in ordine ad ea, quæ forinsecus conspiciuntur, ita hominem sub triplici ratione seu statu esse considerandum. 1. *Ut est a Deo conditus, a quo accepit omnia bona quibus fruitur.*) Utor hic Burlamachii principiis. 2. *Ut est in se ipso sua natura, & suis facultatibus instructus.* 3. *Denique ut*

ut est pars humani generis, & in societate constitutus (1).

III. Ex hoc triplici statu vulgatissima omnium officiorum nostrorum hauritur distinctio, in Deum, in nos ipsos, & in ceteros homines. Ex primo oriuntur *Legum naturalium principia ad Deum spectantia*, quibus consonat Religio, seu cultus, quem Deo præstare debemus. Ex secundo nascuntur leges, quę nos ipsos respiciunt, nostram salutem, perfectionem ac felicitatem. Ex tertio denique profluunt Naturales illæ Leges, quæ ad mutua hominum inter se officia, hoc est ad societatem pertinent (2). Quibus positis atque explicatis transit Burlamachius ad Pufendorfii Systema, quod uti mancum improbat atque rejicit; propterea quod totum positum est in sociali hominum fœdere, seu, ut ille ait, in *Sociabilitate*, veluti super unicum Legum Naturalium, atque officiorum nostrorum principium atque fundamentum. Attamen aliquo modo Pufendorfium excusat, quatenus ipse, etiam Barbeyracii sententia, nonnisi mutua hominum inter se officia explicanda proprie aggressus est. *Etenim*, ait Burlamachius, *nostra in Deum officia, judice Pufendorfio, pars sunt Theologiæ Naturalis. In quibus autem libris naturale jus disceptatur, Religio non habet locum, nisi quatenus est societatis culmen firmissimum.* (3)

IV. Pari modo non excusaret profecto Burlamachius impium Volterium Lexici Philosophici conditorem; qui unam tantum probat virtutem, eamque totam repetit a beneficentia erga similes, & a societate. Et quasi virtus non esset habenda pietas in Deum, fortitudo in adversis, nulla elatio in prosperis, continentia, sobrietas & alia hujusmodi similia, ait ille „ No-

„ us

(1) Burlamach. Juris naturalis Elementa par. 2. c. 4. §. 6.

(2) Burlam. loc. cit. §. 7. 8. & seq.

(3) Burlam. ibid. §. 10.

„ us vivons en société, il n'y a donc de veritablement „ bon pour nous que ce qui fait le bien de la Société. „ Mais que deviendront les vertus cardinales & Theo- „ logales? Quelques-unes resteront dans les éco- „ les „. (1).

V. Verum enimvero Burlamachius æque ac Pufendorfius, & Barbeyracius concedunt religionem, quæ vera Religio sit, culmen esse firmissimum societatis, ac ideo summam perfectionem ipsius a Religione profluere atque pendere. Docet quidem Pufendorfius dissensiones, quæ oriuntur circa Religionem, *ne turbent pacem publicam, per Summum Imperium effici posse, pœna in conviciatores sancita.....* „ Sed ait „ ipse de hisce dogmatibus proprie sermo non est, sed „ sub talibus, quę sive sub specie religionis, sive alio „ modo obtrudantur, jus naturale, ac principia sanæ „ politicæ convellunt; adeoque exitiabiles morbos in „ Civitate producere apta sunt. *Neque exinde ulli veræ* „ *doctrinæ periculum est. Nam nulla vera Religio pa-* „ *ci repugnat*: & quæ paci repugnat vera non est; ni- „ si etiam pax & concordia contrariæ legibus natu- „ ralibus dicantur. Igitur saltem *ejusmodi doctrina-* „ *rum examen, easque e civitate proscribendi potestas* „ *summo Imperio Civili tribuitur* (2) Quare strenue „ defendere aggreditur *Religionem* quatenus ad *disci-* „ *plinam juris naturalis pertinet, intra sphæram hujus* „ *vitæ terminari*; ac ideo *expedire* ut publice civitas „ ejusmodi doctrinis personet, quæ cum fine & usu ci- „ vitatum congruunt, simulque animi Civium a pue- „ ro istis imbuantur „.

VI. Verum quidem est Pufendorfium explicare sententiam istam *de directione duntaxat doctrinarum, quæ ex lumine rationis profluunt, ac præcipue moralis Philosophiæ*

(1) Diction. Phil. sub vocab. *vertu*.

(2) Pufend. de partibus summi Imper. lib. 7. cap. 4. §. 8.

sophiæ & juris Naturalis; itemque asserere *de potestate Summorum Imperantium circa sacra* Christiana tractare consulto sese abstinuisse (1) „ Insuper affirmat „ se disciplinam juris naturalis instituisse tractare uni„ versalilter, & ad captum omnium hominum & na„ tionum,quamcumque circa Divina persuasionem ha„ berent, seposuisse vero quæ ex revelatione Divina „ dependent, eo quod apud omnes populos non æque „ probata aut recepta sunt. „ Hinc statum hominis triplici modo naturalem considerat. 1. Quatenus opponitur statui & conditioni brutorum, & quatenus homo spectatur ita ab Auctore naturæ Deo conditus atque formatus, ut Creatorem suum agnoscere valeat ac venerari. 2. Prout adversatur culturæ, quæ ex hominum industria & meditatione,aut etiam Divino monitu accedere solet. Hominem scilicet perpendit tot miseriis coopertum, quot nunc sumus, nudum, solitarium, veluti in desertum lictus ejectum, pravis animi studiis & inclinationibus detentum & quolibet suorum similium auxilio destitutum. 3. Denique prout opponitur statui civili, quatenus scilicet unus homo alteri neque imperat neque paret. Omnes enim homines similes ac pares considerantur, neque inter se alio vinculo juncti, quam quod ex communi humana natura coalescit.

VII. His præmissis ægre fert ac conqueritur Pufendorfius (an jure vel injuria videant alii) de suis adversariis, quandoquidem statum hominis naturalem, de quo ipse agit, confundant cum *statu purorum naturalium*, *quem* (ait ipse) *Scholastici quondam commenti sunt* (2). Dolet insuper se accusatum fuisse, veluti doceret *religionem statui Reipublicæ esse accommodandam*, *& pro instrumento hujus habendam esse*; nec non

(1) Vid. Pufend. Epist. ad Scherzerum.

(2) Pufend. de Statu. hom. Natur. cap. 3. §. 2. & sequen.

non Christianam religionem ejusque sanctissimam doctrinam, aptam esse ad turbas & seditiones excitandas; itemque pugnare posse cum fine & usibus civitatum. Pufendorfius igitur defendendam suscipit doctrinam suam, & asserit *se de Religione non agere, sed tantum de falsis dogmatibus, Ethnicis & Politicis, quæ sub specie Religionis alicubi obtruduntur* (1). Tamen parum sibi constans, iterum iterumque fatetur Summum Imperantem potestatem habere & jurisdictionem in sacra etiam Christiana (2).

VIII. Notissimus vero Auctor Gallici operis viginti annorum, cui titulus est = *De Spiritu Legum*, docet opus esse Religionem cohærere cum scientia morum, in iis etiam regionibus in quibus non habetur gratia Divinæ Revelationis. Putat enim ipse religionem etiam falsam præ ceteris mediis aptissimam esse ad habendos homines bene moratos probosque (3). Attamen Religio quando numerosos habet ministratores, necesse est, ait ipse, ut caput seu Principem habeant, in quo & pontificatum constituant. Quare ex Civilis prudentiæ legibus loquens, docet in Monarchia in qua ordines regni nunquam sunt nimis divisi, satis expedire Pontificatum disjunctum esse ab imperio civili, nec unquam debere in uno homine, qui sit Summus Imperans, existere; quandoquidem utile Reipublicę est, Summum Imperantem nullam jurisdictionem habere in Sacra Religionis, ne Despotas fiat (4).

IX. Sed his adhibitis memoratisque Philosophis adjungendus est Grotius, cujus systema quamquam in aliquibus cum systemate Pufendorfii cohęreat, in aliis tamen conspicitur discrepare. Ac primo quidem uti monet

(1) Pufend. de examin. Doctrinar. cap. 6. §. 1. & seq.
(2) Puf. lib. 7. cap. 4. §. 8.
(3) Lib. 24. cap. 8.
(4) Ibid. lib. 25. cap. 8.

monet Coccejus, *existentiam juris naturalis Grotius deducit ex appetitu Societatis rationalis cum his qui sunt generis. Quamobrem præ aliis animantibus homo a natura fertur ad Societatem; non tamen ad quamlibet, sed ad tranquillam & rationalem* (1). Humana ergo posita Societate, quæ rationi conveniat, arguit Grotius dari *jus aliquod naturæ*: propterea quod sine jure Societas nulla subsistere diu potest. Jus istud Sociale naturę existere supponit Grotius, *etiamsi detur Deum non esse*. Etenim Sententia ipsius est; hominem remoto etiam Deo *custodire Societatem*. Ulterius refert ipse ad objectum juris naturæ Socialis, omnes actus humanos quatenus Societati conveniunt vel repugnant, ac proinde, violantem capita religionis naturalia, puniri posse nomine societatis humanę, nec asyla proficere contra delicta in humanam societatem commissa.

X. Sed cognito jure isto sociali, Deoque remoto, patet nihil amplius sacri humano generi superesse. Non enim homines vererentur Deum qui ponitur abesse, neque ullam habere possent religionem, præter cerebrosam, arbitrariam, & pro cujusque libidine adinventam superstitionem. Quare Grotii systema differt a systemate Pufendorfii. Nam Pufendorfius licet a *Sociabilitatis* principio leges omnes, quæ naturales dicuntur derivare studeat, tamen non differit ipse nisi de officiis quæ homines hominibus debent, non vero quæ Deo. Hinc est quod hujusmodi Grotii doctrinam refellunt Henricus Coccejus, (1) aliique recentiores Grotii interpretes philosophi.

XI. His tamen haud obstantibus, docet ubique Grotius Deum plenissimum & absolutum dominium in vitam cunctasque res hominum sibi reservasse; illudque per hominem exercere posse eo plane modo, eaque ratio-

(1) Coccej. in Grotium Disert. procem. cap. 1. §. 3. & 4.
(2) Idem ibid. cap. 2. sect. 2. §. 54. & sequen.

ratione, qua voluerit. Cum autem certissime sciamus, totam religionem religionisque scientiam Deum Ecclesiæ, ejusque sacerdotibus concredidisse; ex eo factum est, quod ad Ecclesiam & sacerdotes Ecclesiæ, tota religio pertinere debet, eamque nullatenus pendere a *Sociabilitatis* principio ad instar Legum Civilium. Unde sequitur, ait ipse, *quod in rebus Ecclesiæ dicuntur Episcopi aliquo modo* τὴν καθολικὴν πεπιστεῦσθαι, id est *universalis Ecclesiæ curam accepisse*; Quare licet concederemus Deum sociales homines condidisse, tamen non inde sequeretur Religionem divinitus postea datam hominibus societati subesse, atque Summo Imperanti, ratione sui principatus. Nam jura societatis inspicere tantum possunt in quædam officia, quæ homines hominibus debent, non vero in cultum qui Deo debetur, nisi religio perperam dicatur, etiam cultus ille, qui cultus revera non est, neque vera religio de qua disserimus (1).

XII. His ergo & talibus auctoribus usi, firmissimis argumentis confirmamus caussam ab ipso Deo judicatam. Vidimus enim Ticinensem auctorem ex nexibus quibus conjuncta est religio cum quiete publica, Reique publicæ tranquillitate inferre, Summum Imperantem jus habere in Sacra Religionis, eaque cadere in Societatis jurisdictionem, & in jurisdictionem eorum qui nomine Societatis summum tenent imperium. Verum rectius argumentantibus consequitur potius contrarium. Etenim religio ac publica quies duæ sunt res, quarum altera ut sit alteri subdita, utraque debet esse ejusdem ordinis atque naturæ non autem superioris vel inferioris. Quod si manente una in ordine isto vel illo, altera vero antecellat & fiat superior, dicendum erit vel nullum naturale vinculum inter ipsas in-
terce-

(1) Vid. Grot. de pœnis lib. 2. c. 20. §. 44. n. 1., & 2.

tercedere, uti non habent cum divinis humana, vel inferiorem illi subjectam esse, quæ nobilior est atque superior. Itaque Religio vel nihil aliud est quam *Res politica*, reique politicæ pars, cui omnino præsidet summus Imperans, ut impius contendit Hobbesius, vel Politicum ordinem præstat institutione divina. In priori hypothesi tota Religio Christiana perit & nihil est, in posteriori vero Status Politicus Reipublicæ, ejusque tranquillitatis subjicit Religioni.

XIII. Præterea Summus Imperans quum dicatur habere jus in Sacra Religionis, propterea quod sit quietis publicæ custos, quæro an habeat in totam qua late patet Religionem, vel tantummodo in partem? Si primum, ergo qui Summus Imperans est, debet esse eo Speciali Charactere, iisque virtutibus supernaturalibus Divinitus exornatus, ut universam religionem plenissime valeat ministrare, ac, uno verbo, ut Summus Imperans simul sit necessario Summus etiam Sacerdos. Sed hoc posito Summum Imperium quin profluat a populo societatem appetente, ut Ticinensis contendit, vel a Deo Creatore, ut naturalem rerum ordinem præseferat, uti quisque fatetur, potius dicendum erit illud rem creatam præcellere, a voluntate Dei, ut loquar humano more, superaddita dimanare, & ab institutione, & Revelatione Divina æque ac Sacerdotium descendere; denique non a Deo Creatore, sed a Deo Redemptore profluere; quæ falsissima sunt.

XIV. Attamen Adversarius forsitan contendit Summum Imperatem jus habere tantum in partem religionis, in eam scilicet quæ arctiori vinculo connexa est cum publica tranquillitate, quæque exterioris regiminis & disciplinæ administrationem redolent, uti sunt, si fides habeatur Ticinensi, publica doctrina, Cæremoniæ, Ritus & alia hujusmodi, quæ exteriorem Cultum erga Deum respiciunt. Sed vanum effugium:

 quo-

quoniam neminem latet Religionis partem, arctiori vinculo esse cum publica tranquillitate conjunctam, quæ ad hominem interiorem pertinet, quamque adversarius concedit non esse sub Summorum Imperantium jurisdictione; doctrinam vero hominem interiorem respicere, non vero exteriorem. Insuper vel distinguenda sunt duo diversa connexionis principia, inter Religionem & Civilis Reipublicæ quietem, vel quæque connexio est omnino tollenda, quandoquidem nullum protendat influxum. Neutrum concedit Adversarius, quoniam alterutro concesso, totum sibi substructum corruit ædificium. Sed neque stabit negatis. Etenim vel quælibet religio natura sua adversatur Imperio, vel non est nisi Civilis Reipublicæ pars; cujus Sacerdotes & ministri nullibi differant a Ministris Imperii; eorumque electio, munera & Sacrorum administratio pendeat omnino a Summo Imperante, ab ejus virtute & Potestate. Quare Religionis ministri & Sacerdotes, vel erunt viri tantum Politici, vel erunt Philosophi aut Sacerdotes Imperii & Naturæ, non autem Sacerdotes Ecclesiæ. Utrumque forsitan respuere æque ac priora Ticinensis auctor confidit, cum non eodem modo loquatur de Religione Christiana.

XIV. Ei tamen assentior Religionem vel generatim sumptam vel maxime Christianam, influxum habere in Civilis Reipublicæ Statum. Quid inde? Ergo Summus Imperans jus habet in Sacra Religionis Christianæ? Minime gentium. Patet enim contrarium ex hactenus dictis; sed ulterius progrediamur. Docet Adversarius Christum, quin turbaret Rempublicam & quin sua jura auferret ab Imperantibus, novam rerum formam contulisse, sacerdotibus administratione collata Sacrorum, quæ idem instituit, iisque omnibus concreditis, quæ Religionis substantiam & disciplinam interiorem constituunt. Ergo his omnibus exceptis

„ *quod*

„ *quod reliquum eſt*, ait ille, *in Eccleſia id totum ſub-* „ *ordinatum eſſe intelligitur Regiæ Majeſtati* „ Sed nihil hoc abſurdius. Sequeretur enim doctrinam, Sacramenta, eorumqe adminiſtrationem & quidquid interiorem redolet diſciplinam, vel nullam habere connexionem cum publica quiete,vel ſi haberent, nullo modo ſejungi poſſe a juriſdictione Summi Imperantis, qui ratione ſui principatus, cuſtos eſt publicæ quietis, ac ideo jus habere contendit in Sacra Religionis, propter influxum rei unius in alteram. Utrumque falſiſſimum eſt; ideoque futilis argumentatio eſt, quæ vel nimis probat, vel nihil. Denique rebus ex duabus major & nobilior habenda eſt, quæ influit in alteram, quæque in ſe nullum recipit ab altera ſubſtantialem influxum; inferior vero & minus nobilis quæ influxum recipit, & ab influxu nobilioris dependet. Cum ergo Religio neceſſario influat in bonum ſubſtantiale Imperii; Imperium vero non item; hinc eſt quod non Religio ſubeſt Imperio, ſed Imperium religioni.

XVI. Et revera tota religio Chriſtiana vel dicenda eſt inanis & vacua, & omnino inutilis habenda eſt revelatio & Gratia Chriſti, vel neceſſario aſſentiendum eſt huic veriſſimo principio; Religionem ſcilicet Chriſtianam cultum perficere,quem debemus Deo, rurſuſque illam reſtaurare quæ a nonnullis religio naturalis dicitur & philoſophica; ac inſuper hominem ſanare, longe meliorem facere,ac omni virtutum genere cumulatam reddere Societatem, non vero turbare atque convellere. Philoſophicis enim longe perfectiora ſunt officia quæ docet Chriſtiana religio,iiſque tantum conjunctus eſt ſplendor virtutum quæ perfectæ ſunt, quæque ad hominem pertinent, & ſolitarium & in Societate conſtitutum. Omnia Chriſtus uno præcepto docuit dicens = *Ego ſum via,veritas & vita;& qui ma-*

 net

net in Charitate, in Deo manet & Deus in eo. Christiana ergo Religio supernaturali quadam vi hominem conciliat homini, & ad animi amorem & ad vitæ Societatem. Hinc est quod ipsa pugnare nunquam potest cum politicis Reipublicæ bene constitutæ fundamentalibus principiis: licet possint alicujus reipublicæ male constitutæ principia pugnare cum Religione Christiana, quemadmodum in Romano Ethnicorum imperio factum fuit. Sed hoc in casu non Religio Imperium, sed Imperium turbat Religionem, cujus Divina libertas turbatur & invertitur summa injuria, quando Civilis Potestas jus exercere conatur in Religionem Divinitus datam certis hominibus libere ministrandam. Quare Sanctissimus & Doctissimus vir Gregorius Nazianzenus sic alloquitur cum imperialibus Ministris, cum Principibus Imperii, atque cum Regio Præfecto = „ Quid autem vos Principes & „ Præfecti? Ad vos enim jam nostra se convertit ora„ tio.... Quid igitur dicitis? Aut quid internos con„ venit? An me libere loquentem æquo animo fere„ tis? Nos, *vos quoque imperio meo ac throno Lex* „ *Christi subjicit*. Imperium enim nos quoque geri„ mus, addo etiam prestantius ac perfectius: nisi vero „ equum est Spiritum carni fasces submittere, & Ce„ lestia terrenis cedere.... Cum Christo Imperium „ geris, cum Christo munus hoc administras. Ab illo „ gladium accepisti, non tam ut eo utaris, quam ut „ mineris ac terreas (1).

XVII. Si autem Sacerdotes a Divino suo ministerio atque a Divina Institutione sue Religionis deviare conspiciantur, cum ex Legibus Ecclesie statim a sua conditione deciderint, Religionem non tuentes, neque Religio ipsos tuetur. Ergo Religionis Ministri, qua

(1) Nazianz, Orat, 17.

qua menfura fuum deferunt officium, ut gerant Sęcularia negotia, eadem menfura ab inftitutc decidentes, etiam a religione deviare dicuntur, in imperiumque aliquo modo recidere. Quare idem Nazianzenus dixit = At nos „ Fratres dum officium ipfi deferentes, magi„ ftratuum poteftatem iniquo animo ferimus, perinde „ utique facimus,ac fi quis certaminis præfidem ut im„ probum accufet, cum ipfe in Paleftrę leges pec„ cet„(1). Et in Pontificali Romano cum aliquis adfcribitur Clericali Militiæ,admonetur ab Epifcopo,ne malis moribus amittat privilegia,quę clericalia dicuntur. Quare doctrinam ejufmodi optime intelligebat Scriba ille, qui cum fedaffet feditionem Ephefiorum a Demetrio excitatam adverfus Paulum, Apoftolum dixit ad Ephefios, = Adduxiftis homines iftos neque Sacrilegos, „ neque, blafphemantes Deam veftram. Quod fi De„ metrius & qui cum eo funt artifices, habent adverfus „ aliquem caufam,conventus forenfes aguntur,& pro„ confules funt, accufent invicem. Si autem alterius „ rei quęritis: in legitima Ecclefia poterit abfolvi (2).

XVIII. Ex hucufque dictis fatis fuperque intelligimus, quemadmodum Summum Imperantem jus aliquod continuo tueri etiam in Religionis Miniftros, in quantum homines funt, ita & Sacerdotes jurifdictionem habere in Summos Imperantes quatenus Chriftiani funt. Hinc Boffuetus ajebat „ Le Sacerdoce & l' Em„ pire font deux Puiffances indépendantes, mais uni„ es. Le Sacerdoce dans le fpirituel, & l'Empire dans „ le temporel: comme les Rois dans le fpirituel fe „ reconnoiffent humbles Enfants de l'Eglife. Tout l'é„ tat de ce monde roule fur ces deux Puiffances. C'eft „ pourquoi elles fe doivent l'une & l'autre un fecours „ mutuel. Zorobabel qui repréfentoit la Puiffance

 „ tempo-

(1) Nazianz. Orat. 17. cit.

(2) Act. cap. 19. v. 35. ad 39.

„ temporelle, sera revêtu de gloire; & il sera assis & „ dominera sur son Trône; & le Pontife ou le Sacrificateur sera sur le sien, & il y aura un conseil de „ paix (c'est-à-dire, un parfait concours) entre ces „ deux „ (1). En igitur ut ita dicam, mutua illa servitus, quæ intercedit Sacerdotium inter & imperium, ex qua mutua profluunt officia, quæ necessaria sunt ad pacem servandam, maxime vero ubi agatur de rebus, quæ vulgo *mixtæ* dicuntur. Quum enim ipsæ respiciant plurimum utramque hominis partem animam scilicet & corpus, hominem Civem & hominem Christianum, Deum & mundum, temporale & ęternum, hinc necessario fiet, ut vel Ecclesiæ status, vel Imperii turbetur, si pars altera totum jus atque rei inspectionem integre sumat, altera inconsulta: nam sibi arrogat quod suum non est, sed alteri tribuendum.

XIX. En ergo qui sunt nexus Religionem inter & Imperium, & qui sunt istius connexionis maximi effectus, propter quos Grotius non immerito vocat religionem *Propugnaculum Potestatis ac Legum & honestæ disciplinæ vinculum* (2). Quare malissime argumentatur ex hoc Ticinensis Auctor, Religionem subditam esse Imperio, & Civili potestati, cum potius concludere deberet etiam cum hęretico viro Basnagio (3); Civilem potestatem subditam esse Religioni & Ecclesię cui est tota religio Divinitus concredita. Est enim Ecclesia Christi (ut docet sanctus Paulinus Nolanus) *sanctissima illa hominum societas, in qua omnes unum sumus tanquam in una domo viventes .... Servantes unitatem Spiritus in conjunctione pacis, ut unum corpus & unus*

(1) Bossuet. Politique tirée de l'Ecriture liv. 7. art. 5. 12. Prop. Vid. et. Proc. Verb. de 1700. & Defens. Declar. par. 1. lib. 1. sect. 2. cap. 33.

(2) Grotius de pœnis lib. 2. cap. 20. §. 54. n. 3.

(3) Basnag. differt. 4. n. 1. t. 2. p. 491.

unus spiritus ut Sociali invicem membro nobis collaboremus, ut crescamus in illius corporis ædificationem, cujus Caput Christus est (1). Quare definiri solet Ecclesia Christi „ cætus hominum ad Christi fidem vocatus, quem „ interius quidem animat fides, spes & Charitas; ex- „ terius vero ejusdem Christianæ fidei professio, & „ eorumdem Sacramentorum Communio, sub legi- „ timis Pastoribus, ac præcipue sub uno capite, „ Christi in terris Vicario & Divi Petri successore adunat (2).

XX. Igitur duo in Ecclesia distinguenda sunt, ajunt Ultrajectenses illi, quos magnopere extollit Adversarius. 1. *Quod veram fidem teneat*. 2. *Quod sit societas visibilis, cujus membra exteriori communione coalescunt. Iisdem enim participare Sacramentis, unitatem ministerii a Christo instituti agnoscere, iisdem adesse conventibus, iisdem legibus adstringi, se unius ejusdemque corporis membra profiteri, in primisque simul Orationibus vacare: in his exterioribus ac publicis Religionis actibus posita est communio exterior. Unum etiam aliud communionem illam exteriorem præcipue adstruit & denotat, nempe Cathedræ Petri communione consociari* (3).

XXI. Quę cum ita sint nemo est qui non videat (vidit enim Basnagius (4), ejus naturę atque indolis Christianam esse religionem, ut postulet hominum cætum atque congregationem, qui ad instar Reipublicæ per varios a Deo ipso statutos ordines & officia sapientissime sint distributi; quique seorsim ab imperio Civili sedeant

(1) Paul. Nol. ad Amand. epist. 23.

(2) Opstraet. de loc. Theol. Diss. 3. de Eccles. quæst. 1. §. 2.

(3) Act. Secund. Synod. Ultraject. An. 1763. Relat. 2. de Schism. Græcor. §. 1. Vid. inf. Decret. 3. & Relat. 5. de professione Fid.

(4) Basnag. ubi supra.

sedeant ad custodiam dogmatum, Legum, cultus, Rituum & eorum omnium, quæ Religionem necessario respiciunt, vel ad eam pertinent, eique comitantur. Hæc omnia nisi sint hominibus ejusmodi divinitus concredita, minime valerent ipsi contra furentium impetum tempestatum quę inter homines excitantur, inviolatam Religionem custodire, ne unquam prevaleant superbæ portę infernorum.

XXII. *Sociabilitatem* ergo si quis cum Grotio, Pufendorfio, & Burlamachio considerare velit, ex eaque maxime pendere doceat hominum officia, si falsa non ducatur Philosophia, opus ei erit concedere, hominem Christi medicinali Gratia sanatum, maximam consequi perfectionem intra claustra Ecclesię, forinsecus vero nihil esse pręter virtutum spectra, pręter vitia & peccata (1). Verumtamen ex hoc fit ut officiorum nostrorum alia sint hominis & Civis, alia vero sint viri Christiani. Priora Summo Imperanti ac potestati Civili subjiciuntur, posteriora non item. Sed vidimus superius Religionem Christianam ex natura sua perficere Societatem atque sanare, nunquam vero Civilem societatem hominem Christianum reddere perfectiorem. Ex quo satis superque intelligimus hominem prius natum esse Religioni quam Societati; proptereaquod officia erga Deum pręcedunt officia erga homines. Itaque Sociabilitatis principia quemadmodum nullam haberent virtutem ad Religionem perficiendam, etiam in hypothesi quod ipsa perfectione careret, ita Religio perfectissima, & Divinitus data ad reparandam naturam humanam, fugat quodlibet vitium, levioresque defectus, quibus posset humana turbari societas. Ex naturali & ex divina simul institutione non Religio Christiana subjicitur Societati, sed humana quęque societas Christianorum subjicitur

(1) Vid. S. Eucher. de contemp. mundi prop. fin.

jicitur religioni. Quare Christiana Religio prout religio est, pendere nullomodo potest a Summo Imperante, sed Summus Imperans pendere debet a Religione, ut rectissime societatem gubernet ac regat. Et cum Potestas Civilis humana ratione se gerat, Ecclesiastica vero auctoritate Divina, quæ a Divina Revelatione procedit; rursusque *in Ecclesia Catholica*, ut docet S. Augustinus, nihil fiat salubrius quam ut rationem præcedat auctoritas (1): hinc sequitur Potestatem Ecclesiasticam precedere debere Civilem. Ergo Ticinensis auctor vel ut fateatur necesse est, totam perire argumentationem sibi propositam, vel infamia sui nominis blasphemare deberet, Christum Dominum humane Societati nocuisse potius quam juvasse, ac datam hominibus religionem pugnare cum perfectiori Philosophia. Quod refellitur etiam a Pufendorfio.

XXIII. Sed in Ecclesia æque ac in Imperio duplex distinguenda est vis atque potestas; ea scilicet, quæ leges condit, & quæ mandat executioni; seu *Legislativa*, ut ajunt, & *executiva*. Utraque in Ecclesia pertinet ad ordinem Hierarchicum, & præcipue ad Episcopos & Romanum Pontificem, qui omnium Caput est & Princeps. At in nonnullis tamen rebus, que utique sunt Ecclesie, vis quæ *executiva* dicitur ne dedecet quidem Catholicos Principes. Verum ipsorum esse nullo modo potest vis *legislativa*, quam Christus dedit Petro ceterisque Apostolis, quibus mandavit gubernandam Ecclesiam. Imperantibus autem dedit Deus res quæ temporales sunt, quæque finibus circumscribuntur humanis, atque in iis habent summi Imperantes vim *legislativam*, eque ac *executivam*. Sed quemadmodum Principes Temporales cedunt aliquando Episcopis unam vel alteram, ita etiam Episcopi suam aliquan-

(1) August. de morib. Eccles. lib. 1. cap. 25.

aliquando cedunt Principibus Catholicis. Utraque tamen pars quamquam ſoleat aliquando erga alteram connivere propter Harmoniam, Chriſtianam concordiam & Chriſti Pacem, tamen neutra poteſt ſeſe omnino abdicare auctoritate ſibi divinitus data. Quare vim *legislativam* nemo cedere ſolet, neque cum una pars alterius leges adoptat. Non enim per hoc probari poteſt Eccleſiam vel Imperium amittere ſuam auctoritatem & juriſdictionem. Etenim præter turbam fidelium, *certa membra ſua* (ait S. Optatus Milevitanus) *habet Eccleſia, Epiſcopos, Preſbyteros, & Diaconos, ad quos pertinet totius Eccleſiæ regimen jure Divinitus datum* (1).

XXIV. Eccleſia igitur nunquam abjicere poteſt originalia jura, quæ Deus rerum Dominus dedit cuſtodienda. Quando vero hęc fortiter ſapienterque tenemus quæ mutare non poſſumus, mihi quidem non videntur poſſe ullo modo convelli. Quare Summus Imperans, ratione ſui Principatus nullibi poteſt ſeſe immiſcere in rebus Eccleſiæ, poteſt tamen jure protectionis, audita prius Eccleſiaſtica poteſtate, cui de jure divino pertinet de rebus Eccleſiæ judicium ferre. Itaque Summus Imperans nunquam poteſt ſibi tribuere vim *legislativam* Eccleſię, ſed ſolam *executivam* ſubminiſtrare poteſt, ut opituletur Eccleſię, cujus *eſt Filius, & cujus bonus Imperator*, ut ait Divus Ambroſius, *quærit auxilium.* (2) Ut autem plura vitentur incommoda, quę ex varia Legum Legislatorumque natura ſolent oriri, in primis neceſſe eſt, ut ſtatus Civilis Societatis continuo ſequatur Religionem, non vero Religio Societatis naturam ſeu ſtatum. Inſuper etiam generatim loquendo, neceſſaria eſt Religio quædam, quæ

(1) Optat. Milev. cont. Parmen. lib. 2.
(2) Ambr. ad Marcell. Sor. Epiſt. 14.

quæ sit natura sua immutabilis, quæque hominum Societatem perficere valeat, nec non Divinam quamdam præseferat œconomiam, quæ Divinam arguat Religionis naturam, & Religionem ipsam Divinitus nobis datam ostendat, non vero ab hominibus adinventam superstitionem. Religio quæ sit hujusmodi, quamlibet hominum Societatem perficere natura sua valet, vicissitudines Imperii neque timet neque sequitur, omnem falsitatem respuit, nova dogmata non admittit, novum cultum necessario fugit, & novam damnat morum scientiam.

XXV. *Vel generatim ergo vel speciatim de Religione loquamur*. Quemadmodum Principibus temporalibus sanitas corporum est divinitus concredita, ita & Sacerdotibus animarum sanitas, propter quam tota Religio Divinitus data est; ideoque ad Summum Imperantem religionem nullo modo pertinere latissime patet. Contra vero Potestas Ecclesiastica necesse est, ut duplicem cultum Deo exhibendum, interiorem & exteriorem dirigat & moderetur. Quoad interiorem non habet Ecclesia alia media in sua potestate quam persuasibilia, prædicationes scilicet, admonitiones, præces, suffragia, & alia similia, quæ exhibere valet ad populorum regimen. Sed quum istorum omnium privata executio & complementum eo remaneat in hominis cujusque arbitrio, ut Ecclesia quę de internis judicare non valet, ad regendos populos suum non possit formare judicium, nisi illa omnia exteriora fiant; hinc Divina potestas Ecclesiæ non minus hominem interiorem quam exteriorem opus est ut respiciat. Ut autem exteriorem dirigat, habet quidem templa, & populi cætus, habet Sacramenta, Ritus, & indulgentias, & habet etiam pœnas Ecclesiasticas, quibus culpatos puniat, atque vitia coerceat. Itaque Bossuetus optime scripsit = „ Pour les peines, l' Eglise a droit

„ d' en

„ d'en imposer de tres-rigoreuses aux penitens: & elle „ a droit aussi de les temperer ec. „ (1)

XXVI. Quæ cum ita sint nonnisi evidenti lumine veritatis coactus Ticinensis Auctor concedit pag. 313. saltem Novi Testamenti Sacerdotibus, *Christum non solum executionem Sacrorum, sed etiam cognitionem ac judicium de rebus ad religionem spectantibus concredidisse*. Attamen destruit paulo post quando affirmat. „ Religionem cum politico ac civili societatis bono ita „ connecti quoad exteriorem disciplinam, ut hæc „ necessario subingrediatur ordinem rerum politicum, „ atque Civilem. Ergo (prosequitur) dempta Fidei, „ morumque doctrina, quam Christus per legatos „ suos annuntiavit, ac dempta sacrorum administra- „ tione, quę sacra Christus instituit; quarum rerum „ complexio religionis substantiam, *ac ipsius interiorem ut loquuntur disciplinam constituit; quod reliquum est in Ecclesia id totum subordinatum esse intelligitur Regiæ Majestati* ..... Hinc ejus est convo- „ care concilium ad lites finiendas, invigilare super „ Ecclesiæ Pastores, ut rite absque societatis perturba- „ tione muneribus suis fungantur, ut omnes Eccle- „ siasticorum coetus in officio contineantur & quæ „ societati oneris sunt, vel detrimenti, supprimantur, „ ut nihil demum in Ecclesiastico regimine contin- „ gat quod vel minimum societatis bonum lędere pos- „ sit .... Ex quibus intelligitur rerum naturam non „ bene perpendisse, nec jura Principum rite novisse, „ qui eos se immiscere rebus Ecclesiæ posse existi- „ mant, non quatenus unice Principes sunt, sed qua- „ tenus sunt Christiani „. (2)

XXVII. Posita ergo Scriptoris Ticinensis doctrina, Princi-

(1) Bossuet. Avertoissem. sur la remission, des Peches pour le tems du Jubile.

(2) Cap. 14. §. 7. pag. 314. ad 317.

Principes Infideles, ipsos Ethnicorum Imperatores ratione sui Principatus idem jus habere dicendum erit in Christi Ecclesiam, quod in rebus nonnullis exercent, vel ipso judice exercere possunt Imperatores Christiani. Quare jure suo fungebantur ipsi in Exordio Ecclesiæ cum impedire conarentur quominus Religio Christiana publicæ prædicaretur, quandoquidem Christus & Apostoli, Judæorum Ethnicorumque judicio, sua prædicatione perturbare nitebantur publicam fidem & cultum, ac proinde peccabant adversus societatem, ac veluti publicæ quietis perturbatores haberi merito poterant, uti revera habiti sunt. Judæi enim Christum ipsum accusantes ad Pilatum dicebant. *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram .... Commovet populum docens per universam Judæam* (1). Etenim occasione novæ doctrinæ, oriebantur tumultus, contentiones, & pristinæ Religionis, seu potius Superstitionis ruina. Præterea cum juxta Ticinensem quilibet pro veritate pugnare existimet,(2) ac Summi illi Imperantes putarent religionem,qua erant enutriti verissimam esse, optime se gesserunt ergo ipsam tuentes; contra vero malissime egerunt Apostoli eorumque Successores, atque adversus jura Societatis peccarunt, cum novam religionem prædicarent, non dicam absque licentia Civilium Magistratuum,sed ipsis etiam invitis. Ait enim = Id unum jure postulat societas, ut „ cum libera sit in religionis delectu,eam quam ipsa „ amplexa est nullus perturbet impediatque (3).

XXVIII. Verumtamen unicuique patet duplici ratione hominem posse peccare, contra jura Civilis Societatis & contra jura Ecclesiæ. Quæ sunt contra societatem jure ordinario punire potest Summus

(1) Luc. cap. 23. v. 2. & 5.

(2) Pag. 342. (3) Ibid. pag. 341.

mus Imperans tantum,qui tueri debet publicam quietem, Majestatem Imperii & ipsa jura Societatis. Peccata vero quæ sunt contra religionem punire potest sola Ecclesia; cum sola a Deo receperit custodiendam religionem, & potestatem ligandi atque solvendi. Si autem simul sint contra religionem & contra societatem,ab utraque simul potestate puniuntur. Verum accidit, ut quemadmodum Ecclesia est semper in Imperio, ita etiam Imperium sit aliquando in Ecclesia, cum scilicet Summus Imperans & Civiles Magistratus Catholicam profitentur religionem. Ex hoc res illæ profluunt, quæ vulgo *Mixtæ* dicuntur, in quibus quisquis peccat, non tantum peccat contra jura Ecclesiæ, sed etiam contra jura societatis; quoniam societas ejusmodi etiam Catholica religione coalescit. Sed cum ista haud originaliter profluant ex natura Imperii, quandoquidem ad illud pertinere non possunt, nisi per derivationem ab Ecclesia, cujus interest jura sua custodire; hinc est quod imperium nunquam potest inconsulta Ecclesia, parte scilicet Hierarchica & Legislativa ejusdem, vel novas condere leges, quæ res Ecclesiæ respiciant, vel animadvertere in peccata,quæ non ab homine tantum Cive, sed ab homine Christiano patrantur, maxime vero ab eo qui dicitur Ecclesiasticus. Si secus enim se gereret, videretur procedere jure potius originario quam derivato. Summus vero *Imperans qui est intra Ecclesiam, & filius Ecclesiæ, constitueretur supra Ecclesiam,non quæreret auxilium Ecclesiæ, sed refutaret, eamque convelleret,*ut monet Sanctus Ambrosius (1).

XXIX. Si ergo verum esset quod Scriptor ille docet, Religionem scilicet generatim sumptam de jure naturæ ad summum Imperantem pertinere; quomodo non perti-

(1) Ambr. concione de Basilic, non tradend.

pertineret etiam de jure divino & positivo, cum veritas nunquam pugnet cum veritate, & cum testetur Christus se non venisse ut solveret legem scriptam, eo vel minus Legem Naturalem, quæ immutabilis est, ac veluti particula legis æternæ? Clarissime ergo evincitur ex hactenus dictis, jus *illud Regiæ Majestatis in sacra*, de quo affirmat ille dubitari non posse, neque reperiri in Philosophia, neque in certissimis Christanæ religionis principiis, cum quibus pugnat. Inferius autem videbimus pugnare insuper cum Evangelio & cum doctrina Sanctorum Patrum, & ne haberi quidem in Gentium historia, vel in republica Hebræorum: reperiri tamen apud quosdam non antiquioris temporis Hæreticos qui adinstar omnium Novatorum „ a re-
„ liquo corpore separati suos sibi magistros (ut ajebat
„ S. Pacianus) & propria instrumenta constituerunt,
„ ut quid insolitum argumentarentur, & quid novi
„ juris adinvenirent (1). Sit ergo.

CAPUT III.

De Nullo jure Summorum Imperantium in Sacra Christiana secundum Evangelii & Sanctorum Patrum universalem doctrinam.

I. Vidimus superius potissimam rationem, quam profert in medium Ticinensis auctor ad asserendum jus Imperantibus in Sacra Religionis, eam esse quæ probat, homines cum in Societatem coiverint ut beati viverent, cumque publicam personam elegerint, in quam singuli sua jura transferrent, eidem communi populi voluntate, curam concredidisse publicæ quietis, & rerum omnium administrationem, maxime vero

(1) Pacian. Epist. 3. ad Sympron. prop. finem.

vero religionis, quæ tota eſt cum bono Societatis connexa. Valet argumentum ubi agitur de regimine Imperii; quoniam Deus, ut etiam ipſe concedit, unicuique populo poteſtatem fecit ſibi certam reipublicæ formam conſtituendi, ac utile quidem ſit unum ſemper eligere cui reliqui obediant. Sed eſt omnino ridiculum transferre argumentum ad religionis adminiſtrationem. Nam ubi homines Societatem iniverunt, ſuamque libertatem vèl ex toto, vel ex parte depoſuerunt in manibus Imperantium, nunquam præſumitur jus inſuper ceſſiſſe in proprias conſcientias, in intellectum, & religionem. Quod ſi etiam ceſſerunt, tunc religio a Principibus imperata non eſt religio,ſed vana ſuperſtitio, cum non ſit illa quam Deus ipſe præſcripſit, ac definivit; rurſuſque certis hominibus concredidit ad inſtar Depoſiti cuſtodiendam. Ergo neque Deus, neque homines conceſſere cuiquam jus religionis pro arbitrio conſtituendæ, neque vera religio eſt aliquid humani, ſed Divina res eſt, ſuper quam nullum jus exercere poteſt Civilis Societas, cujus inſtitutio tota humana eſt, licet ipſius auctoritas atque poteſtas in rebus, quæ humanam inſtitutionem non excedunt, ſit omnino a Deo.

II. Verum ubi hominum occurrit nobis ſocietas, cujus inſtitutio ſit omnino divina, propterea quod a Chriſto fundata ſit, atque ab eo Eccleſia vocata, eam profecto non ſuper Reges,ſed ſuper Petrum, & reliquos Apoſtolos fundatam diſcimus (1). Eoſque a Chriſto fuiſſe ſtatutos ſuper familiam ſuam, ac diſpenſatores factos myſteriorum Dei (2). Quare idem Chriſtus non Regibus, ſed Petro dixit: *paſce agnos meos, paſce oves meas*; & ad univerſos Apoſtolos: *Sedebitis ſuper*

(1) Mat. cap. 16. v. 18. Ad Epheſ. c. 2. v. 20. Apocalypſ. cap. 21. v. 24.

(2) Luc. cap. 12. v. 24.

per thronos judicantes duodecim tribus Ifrael. (1) Cum vero inftituiffet Euchariftiæ facramentum, & Apoftolos Sacerdotes conftituiffet, ipfis, non autem Regibus & Magiftratibus Terræ dixit: *hoc facite in meam commemorationem* (2). Pro Petro infuper non autem pro fummis Imperantibus afferuit Chriftus, fe rogaffe ut fides ejus nunquam deficeret, ac Petro onus dedit fratres fuos in Fide confirmandi (3). Præterea Apoftolis non regibus dixit = Ego rogabo Patrem & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobifcum in æternum, Spiritum veritatis, quem Mundus non poteft accipere.... Vos autem cognofcetis eum; quia apud vos manebit,& in vobis erit.... Ille vos docebit omnia & fuggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis = (4). Non Imperantes fed Apoftolos vocavit amicos fuos, quibus nota feciffe teftatur quæcumque audiverat a Patre,ipfofque elegiffe afferit, ut eant & fructum afferant; & fructus eorum maneat (5); quoniam per verbum & prædicationem ipforum promifit mundum crediturum. (6) *Accipite ergo*, dixit ipfis, *Spiritum Sanctum, quorum remiferitis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta funt* (7). *Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos fervare omnia, quæcumque mandavi vobis: & ecce ego vobifcum fum omnibus diebus ufque ad confummationem fæculi* (8).

III. Apoftoli ergo eorumque difcipuli Divina hujufmodi auctoritate confifi, in exordio Ecclefiæ mini-

C 2 ftrabant

(1) Joan. c. 21. v. 15. & 17. Luc. c. 22. v. 28. 30.
(2) Luc. c. 22. v. 19. (3) Ibid. v. 32.
(4) Joan. Cap. 14. v. 16. & fequen.
(5) Joan. cap. 15. v. 14. & feq.
(6) Joan. c. 17. v. 20.
(7) Joan. c. 20. v. 22. & 23.
(8) Matth. 28. v. 19. 20.

ſtrabant Domino, viros ſegregabant in opus Dei, Miniſtros Eccleſiæ libere eligebant, congregabant concilia, miniſterium verbi exercebant, Evangelium prædicabant, ſacramenta conferebant, errores damnabant, communionem eccleſiaſticam interdicebant, mittebant Synodicas Epiſtolas, prædicatores legabant ad Gentes, Eccleſiarum Rectores, aut etiam viſitatores conſtituebant, conſtitutis Epiſcopis præcipiebant ut prædicarent verbum, inſtarent opportune & importune, ut obſecrarent vel increparent in omni patientia, & doctrina, ac omnia abſque ullo impedimento pleniſſime decernebant, quin certiores facerent Summos Imperantes, vel Magiſtratus Imperii (1). Ratio denique atque ſcientia morum, quibus magna ex parte coaleſcit Chriſtiana Religio, ut ſuperius diximus in Cap. 1., tota concredita divinitus fuit Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus; ac per ipſos etiam Eccleſię univerſæ, non vero Summis Imperantibus, ac Civilibus Magiſtratibus.

IV. His igitur expoſitis accedit aliud argumentum ex unitate Eccleſiæ Catholicæ derivatum. Unitas enim quæ inter dotes Eccleſiæ præcipua eſt, omnino periret abſque unitate doctrinæ, concordia morum, unitate Sacramentorum omniumque rerum quæ pertinent ad Tribunal Eccleſiæ. Si ergo Summus Imperans ex ſui Principatus natura ut auctor Ticinenſis contendit, jus haberet dirigendi res Eccleſiaſticas, atque rebus ſacris ſeſe immiſcendi, quis non videat nunquam dari poſſe Unitatem Religionis in Eccleſia Univerſa, cum tot Principatus & Regna Eccleſiam componant? Neque ſperari poſſit tam ſpatioſum Imperium, quod æquetur Eccleſiæ toto Orbe diffuſæ? Ergo vel Religio cum ſuis appendicibus erit imperanda ad modum Civilium Ordinationum, & non erit amplius libera cuiquam, vel

(1) Legatur Lib. Act. Apoſt. & Pauli Epiſt. ubique paſſim.

vel si libera est,ad Summum Imperantem nullo modo pertinere dicendum est. Quare ajebat Theodoricus Gothorum Italorumque Rex Arianus: *Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur ut credat invitus* (1). Loquens autem de Regimine Imperii ait „ sed cum utile sit unum semper eligere cui reli-
„ qui debeant obedire: quia si voluntas diversorum
„ vaga relinquitur, confusio culparum amica generatur (2).

V. Si ergo ad Summum Imperantem jus illud pertineret in Religionem, ipsius libertas omnino periret, propterea quod eadem prædicarentur de Religione, quæ de Constitutionibus Imperii dicuntur, sub cujus legem caderet etiam religio. Ipsius itaque libertatem vel per jocum Ticinensis auctor tueri fingit, vel jus illud in Sacra perperam tribuit Summis Imperantibus. Argumentum est S. Ambrosii ad Imperatorem Valentinianum ita Scribentis = „ Legem enim tuam
„ nollem esse supra Dei legem. Dei lex nos docuit
„ quid sequamur, humanæ leges hoc docere non pos-
„ sunt. Extorquere solent timidis commutationem.
„ Fidem inspirare non possunt. Quis erit igitur ille
„ qui cum legat per tot provincias uno momento esse
„ mandatum, ut quicumque obviaverit Imperatori,
„ feriatur gladio... Quis inquam est qui possit vel
„ unus vel inter paucos dicere Imperatori: Lex tua
„ mihi non probatur? Non permittitur hoc dicere
„ Sacerdotibus, permittitur Laicis? Et judicabit de
„ fide qui aut Gratiam sperat, aut metuit offen-
„ sam „? (3). Non immerito igitur ajebat notissimus

 Gal-

(1) Theod. Rex ad Judæos Genuæ. Epist. 27. apud Cassiod. lib. 2. Variar.

(2) Apud Cassiod. ibid. lib. 7. Formul. 27. Honoratis Possessor. & Curial.

(3) Ambros. ad Imperat. Valentin. epist. 13. alias 21.

Gallorum Scriptor Antonius Arnaldus contra Novatorum artes, qui de more Summorum Imperantium poteſtatem extollunt in rebus Eccleſiæ. „ Mais un des
„ principaux artifices dont les Hérétiques ſe ſont ſervi contre les Evêques Catholiques, a été de flatter
„ les Rois & les Empereurs Chrétiens, en leur repréſentant qu'ils ſont obligés par le zele qu'ils doivent
„ avoir pour le ſervice de Dieu & de ſon Egliſe, de
„ prendre connoiſſance des troubles qui s'élevent parmi les Eccléſiaſtiques, les Prélats & les Fideles touchant la Foi, la Doctrine & les Myſteres de le vraie
„ Religion. Ils relevent non ſeulement la Puiſſance
„ Royale, mais auſſi les lumieres, l'eſprit, la ſageſſe, & la juſtice des Rois qu'ils flattent, pour abaiſſer les Evêques au deſſous d'eux. Ils donnent de
„ grands èloges à la piété de ces Princes, & en font
„ des Saints & des Apôtres, pour les ſubſtituer en
„ la place des véritables Succeſſeurs des Apôtres
„ & des Saints, & ne travaillent que pour leur perſuader qu'ils ont & une ſouveraine autorité, &
„ une ſouveraine & divine intelligence, pour juger des différents des Evêques, & de leurs prétendus excés contre la Doctrine de l'Egliſe, & l'innocence de ceux qu'ils ont condamnès „. (1)

VI. Quare Sancti Patres una voce damnarunt uſurpationes quorumdam Imperatorum, qui jus aliquod in res, vel perſonas Eccleſię ſibi falſo tribuerunt, tamquam alienum ab imperiali juriſdictione, atque fines tranſcendens poteſtatis humanæ. Deo igitur fideliter ſervientes non timuerunt Sanctiſſimi viri, ipſos Chriſtianos Imperatores increpare de violata juriſdictione, ſi

(1) M. Arnaud Defenſe de Meſſeigneurs les Prelats, approbateurs du livre de la fréquente Communion Chap. 11. pag. 82.

ſi quando vel per ſe,vel per alios aggreſſi ſunt aut cauſam agere, aut judicium ferre de rebus ad Eccleſiam aut religionem pertinentibus; quamobrem Imperatores Chriſtiani intra Eccleſiam tantummodo ſunt,nunquam vero ſupra Eccleſiam, vel ſupra res Eccleſiæ. Audivimus iſthic S.Ambroſium eumque rurſus audire non pigeat; poſtea aliorum Patrum luculentiſſima teſtimonia referemus. „ Quid enim honorificentius, „ *ait S. Doctor*, quam ut Imperator Eccleſiæ Filius „ eſſe dicatur? Quod cum dicitur, ſine peccato dici- „ tur, cum gratia dicitur. Imperator enim bonus in- „ tra Eccleſiam,non ſupra Eccleſiam eſt. Bonus enim „ Imperator quærit auxilium Eccleſiæ, non refutat. „ Hæc ut humiliter dicimus, ita conſtanter exponi- „ mus „ (1). Sed ſpeciatim non generatim loquentem afferamus Ambroſium, ut dum eamdem veritatem in genere propugnare non deſinamus, argumento inſuper,quod dicitur ad hominem,cum Ticinenſi congrediamur. Scriptor ille pag.341. aſſerit „ Summum „ Imperantem animadvertere jure poſſe in hæreticos „ inquietos, ac perturbatores publicæ religionis, non „ vero in Pacificos, qui vel domi alienam religionem „ colunt, vel ſolis rationibus pugnare contenti, nihil „ adverſus publicum cultum ac ſocietatem moliun- „ tur. His ſane Summus Imperans opponere debet „ Magiſtros, Doctores, Theologos, ut cum iis con- „ grediantur, ac veritatem propugnent. „

VII. Quærere poſſemus ab illo Scriptore quomodo Hæretici habeantur pacifici, ac dici poſſint nihil moliri adverſus publicum cultum, quando ſolis rationibus pugnant contra ipſum? Mittimus tamen ne longius habeamus a re propoſita. Inſuper ſub ſilentio præterimus, doctrinam hujuſmodi maximam affinitatem ha-

(1) Amb. cont. Auxen. de Baſilic. non tradend. prop. fin.

bere cum illa, quæ a Concilio Constantiensi damnata fuit in 24. ex articulis erutis ex processibus contra Joannem Hus; Scilicet quod *nulla hæresis debet exterminari per potentiam, sed per disputationem in Scholis*: (1) Verum quis nesciat S. Ambrosium reluctantem Valentiniano Augusto, qui cum Auxentio Arianæ hæresis infecto, congrediendum imperaverat in Imperiali suo consistorio? scripsit enim Imperatori = „ Nec „ quisquam contumacem me judicare debet, cum hoc „ adseram, quod Augustæ memoriæ Pater tuus non „ solum sermone respondit, sed etiam Legibus suis sanxit: *In caussa Fidei vel Ecclesiastici alicujus ordinis*, „ *eum judicare debere qui nec munere impar sit*, *nec* „ *jure dissimilis*... Ita ergo quadam adulatione curvamur *ut Sacerdotalis juris simus immemores* & „ quod Deus donavit mihi, hoc ipse aliis putem esse „ credendum? Si docendus est Episcopus a Laico, „ quid sequitur? Laicus ergo disputet & Episcopus „ audiat, Episcopus discat a Laico... Agitur de istius Ecclesiæ Sacerdote: Si audierit illum populus „ & putaverit melius disputare, sequatur ejus fidem &c.„ (2). Summus igitur Imperans vel supponitur Catholicus, vel Hæreticus. Si primum ergo judex doctrinæ constituitur; si vero secundum insuper crescit erroris periculum.

VIII. Verumtamen Principes Temporales jure sui principatus eligere si debeant Theologos atque Doctores, qui pugnent contra hæreticos, dicendum erit vel jure nativo suum posse exercere judicium in doctrinam disputatam, eamque deinde proponere populo tanquam regulam Fidei, vel mere passivos habendos esse. Si primum, Ergo Summus Imperans jure proprio

(1) Concil. Lab. Tom. 12. Colum. 132.
(2) Ambr. ad Valentin. Augus. Epist. 13. alias 21.

prio constituitur judex doctrinæ, quam Christus Apostolis concredidit; si vero secundum, frustra ergo Imperantes certamina illa præcipiunt. Hinc est quod juxta doctrinam Ticinensis, Imperantes vel necesse est ut eveniant Magistri Ecclesiæ, vel nemini suis certaminibus juvent, quandoquidem ea sunt imperata summa injuria Ecclesiasticæ potestatis, cui doctrina universa a Christo tradita est libere custodienda. Quare facillime evenire potest, ut Summus Imperans cui doctrinæ depositum non est a Christo concreditum, sit erroribus imbutus, ut sæpius accidit maxime Græcis Imperatoribus, vel ut Doctores selecti ad pugnandum cum hæreticis, sint etiam ipsi hæretica labe occulte polluti, ut contigit piissimo Imperatori Constantino in Eusebio Nicomediensi: ac ideo dari potest occasio ut error pejor priore nascatur. Hujus naturæ periculum longe remotius evadit, quando Episcopi nullo modo coarctantur, nec ulla vis opponitur Apostolico Ministerio, quo Divinitus funguntur, quoniam Christus sedere promisit in medio ipsorum. Itaque omnibus anteactis temporibus hæretici, eorumque hæreses eo perniciosiores evaserunt & grassatæ sunt, quo Summi Imperantes, & Magistratus Civiles rebus Ecclesiæ ac disputationibus doctrinæ sese immiscuerunt. Contra vero perierunt vix natæ, vel post breve temporis spatium abierunt in perpetuam oblivionem, quando nullam partem sumpsere Principes temporales & Civiles Magistratus. Hinc facta est magna differentia, magnumque discrimen inter Hæreses, quæ natę sunt in tribus prioribus Ecclesiæ sæculis, ethnicis imperantibus, quando post breve tempus extinctæ sunt, neque multos sectatores habuerunt, & illas quæ exoriri cœperunt sub Christianis Imperatoribus. Quanto latius hæreses istæ grassatæ sunt, & quanto diutius!

IX. Sed quid congressus, disputationes, luctasque, atque

atque certamina laudat & proponit Imperatoribus,qui de Tertulliani præscriptionibus gloriatur? Cum scire debuerit Tertullianum ibidem docuisse, Apostolos, non vero Principes *Nationibus destinatos esse Doctores, quibus ultro erat obventura doctrina per Spiritum Sanctum* (1); & cum *Deus Piscatoribus & Publicanis orbem terræ colendum commiserit* (2). Quare S. Athanasius docuit fugiendos omnino esse istiusmodi congressus cum Hæreticis, *neque attendendum rixis verborum* (3). Sanctus vero Augustinus testatur, rectissimam Ecclesiæ disciplinam non esse certaminibus infirmos recipere; *quæ omnium hæreticorum regularis temeritas est. Sed in arcem fidei quam maxime recipi infirmos, ut pro eis jam tutissime positis, fortissima ratione pugnetur, ea rectissima est* (4). Hinc, Theodoreto teste, *deridebant Gentiles Christianam Fidem, asserentes nihil nos aliud quam meram credulitatem insinuare illis, quos divinis rebus imbuendos accipimus*. Verum redarguebat ipse Gentiles, eorumque Sapientes *quandoquidem apud eos multa semper contentio, magnaque, & implacabilis sit pugna verborum* (5). Et revera ita raro contigit, ut si quando auditum sit aliquem Hæreticum sola disputatione superatum, ad partes Ecclesiæ transitum fecisse, portenti simile numeretur. Quoties in Germania principes & Imperatores, maxime vero Carolus Quintus frustra opposuerunt Theologos, ut cum hæreticis congrederentur? Et si antiquiora exempla desiderantur, quam gloriosam victoriam in Africa de Hæreticis non reportarunt Catholici, & præci-

(1) Tertul. de Præscript. cap.8. vid.& cap.9.10.11.12.& 14.
(2) Theodoret. Hæret.Fabul. lib. 1. in Præfat.
(3) Athan. epist. ad Præsbyteros Joan. & Antioch.
(4) August. Epist. 46. ad Dioscor.
(5) Theod. Græcar. Affect. Curat. Orat. 2. infr. init. & cir. med. Vid. etiam Prolog.

præcipue Sanctus Augustinus, quin ante leges Imperiales minimus reportaretur fructus ? Sed de hoc satis. Ad assertum jus Summorum Imperantium in Sacra redeamus, ut illud insuper expendamus cum aliorum Sanctorum Patrum doctrina, ac tandem intelligat adversarius non inepte, ut ipse nugatur, neque immerito ablegari jus illud ab Imperantibus.

X. Ut igitur assertum jus omnino respuatur, sufficit animadvertere Christi Ecclesiam, illud non solum nunquam novisse, sed etiam improbasse quotiescumque nonnulli Principes Temporales aliquo modo sibi tribuere conati sunt vel in Sacra, vel etiam in illa quę exteriorem tantum redolent Ecclesiæ Politiam. Quare suis tantummodo Legibus sese ipsa gubernavit & rexit Ecclesia per tria priora sæcula, quin Imperatores sese miscerent rebus Ecclesiasticis. „ Neque „ Imperatores thuribulum, neque Episcopi gladium „ usurpent (ait hæreticus homo Basnagius). Annis pene trecentis, dum Imperatores ethnici rerum potiebantur, Ecclesia absque Magistratus cognitione *disciplinam exercebat*, ac Hęreticos & flagitiosos e societate sua ejiciebat. Quin etiam Imperatores Christiani hæresis crimen Ecclesiæ ditioni „ subditum esse voluerunt, nec immerito cum artificis cujuscumque sit, de materia ad se pertinente „ judicium ferre (1) „. Iccirco Patres non ad puram Historiam id revocarunt, sed habita occasione, docuerunt etiam veluti Ecclesiæ fundamentale principium, super quod sistit juris & libertatis Ecclesiæ systema universum, vi cujus satis superque demonstrant, Ecclesiam propriis legibus peroptime gubernari posse, uti revera sese gubernavit, & etiam nunc in certis regionibus se ipsa gubernat sine ope Imperii. Hinc San-

(1) **Basnag. Diss. 4. t. 2. n. 21. p. 499.**

Sanctus Augustinus scripsit „ Non invenitur exemplum
„ in Evangelicis & Apostolicis litteris, aliquid petitum
„ a Regibus terræ pro Ecclesia & contra inimicos Ec-
„ clesiæ. Quis negat non inveniri? „ (1). Osius ve-
ro magnus ille Episcoporum Pater sic loquebatur ad
Constantium Imperatorem, qui cum jura læderet &
libertatem Ecclesiæ, Arianis patrocinabatur, ac insuper
veluti Canonum defensorem se esse gloriabatur. „ De-
„ sine quæso & memineris te mortalem esse, reformida
„ diem judicii, serva te in illam diem purum, *ne te*
„ *misceas Ecclesiasticis*, neque nobis in hoc genere
„ præcipe, sed potius ea a nobis disce. Tibi Deus
„ Imperium tradidit, nobis Ecclesiastica concredidit.
„ Ac quemadmodum qui tibi Imperium subripit, Deo
„ ordinanti repugnat, ita metue ne si te ad Ecclesiasti-
„ ca pertrahas, magni criminis reus fias = (2).

XI. Non secus ab Osio loquutus est Sanctus Athanasius contra eumdem Imperatorem „. Aut cur, cum
„ se Ecclesiasticum Canonem curę habere prætexit,
„ omnia contra Canonem facit? Ubi enim ille canon
„ est ut e Palatio mittatur, qui Episcopus futurus
„ est? Aut quod genus Canonis, quo licitum est mi-
„ litibus Ecclesias invadere aut Comites? Et qui nul-
„ la ratione utuntur, Spadones Ecclesiis dominari: aut
„ edicto judicium eorum, qui nomine tenus Episcopi
„ sunt, promulgare? (3) Et inferius subdit =. Quis
„ enim videns eum (Constantium) in decernendo
„ Principem se facere Episcoporum, & præsidere
„ judiciis Ecclesiasticis, non merito dicat illum, eam
„ ipsam abominationem desolationis esse, quæ a Da-
„ niele

(1) August. ad Vincent. Rogatist. Epist. 48. alias 84. num. 93. infr. init.

(2) Epist. Osii ad Constant. Imp. apud Athan. epist. ad Solitar.

(3) Athan. Epist. ibid. cit. post illam Osii.

„ niele prędicta est „ (1)? Athanasium sequutus est Hilarius, qui ad eumdem Imperatorem scripsit „ Pro-
„ videat ac decernat Clementia tua, ut omnes ubi-
„ que judices, quibus Provinciarum administrationes
„ creditæ sunt, ad quos *sola cura & solicitudo publi-*
„ *corum negotiorum pertinere debet*, a religiosa se ob-
„ servantia abstineant. Neque posthac præsument,
„ atque usurpent, & putent se caussas cognoscere Cle-
„ ricorum „ (2). Sulpicius autem Severus nefas esse putabat caussas Ecclesiæ ad sæculi judicem revocare. Loquens enim S. Doctor de Monachis Ægyptiis accusatis de hæresi Origeniana, ait „ Cum hęc atque alia
„ istiusmodi ab Episcopis proderentur, ex studiis par-
„ tium orta est seditio. Quæ cum reprimi Sacerdo-
„ tum auctoritate non posset, *sævo exemplo ad regen-*
„ *dam Ecclesiæ disciplinam Præfectus assumitur*, cu-
„ jus terrore dispersi fratres, ac per diversas oras
„ Monachi sunt fugati, itaut propositis edictis in nulla
„ consistere sede sinerentur „ (3). Alibi autem scribit de Priscilliano ac de Episcopis Idacio atque Ithacio. „ Priscillianus vero ne ab Episcopis audiretur,
„ ad Principem provocavit; *permissumque id nostro-*
„ *rum inconstantia*, qui aut sententiam in refragan-
„ tem ferre debuerant, aut si ipsi suspecti habebantur,
„ aliis Episcopis audientiam reservare, *non caussam*
„ *Imperatori de tam manifestis criminibus permittere*.
„ Ita omnes quos caussa involuerat *ad Regem reducti*,
„ secuti etiam accusatores. Idacius & Ithacius Epi-
„ scopi: quorum studium in expugnandis Hæreticis
„ non reprehenderem, si non studio vincendi plus
„ quam oportuit certassent. Ac mea quidem senten-
„ tia est, mihi tam reos, quam accusatores displice-
„ re . . . Tum Martinus apud Treveros constitutus,
„ non-

(1) Athan. ibid. prop. fin. (2) Hilar. Epist. ad Const. August.
(3) Sulp. Sever. Dialog. 1. de Vir. Monach. Orient.

„ non desinebat increpare Ithacium ut ab accusatione „ desisteret: Maximum (Imperatorem) orare, ut sanguine infelicium (Priscilliani & sociorum ejus) abstineret: satis superque sufficere, ut episcopali sententia hæretici judicati, Ecclesiis pellerentur. Novum esse & inauditum nefas *ut caussam Ecclesiæ Judex sæculi judicaret* „ (1).

XII. Præterea Donatistę ut Catholicos invidia cumularent, ipsos de habito recursu ad Imperatorem Constantinum accusabant dicentes „ *Quid Christianis* „ *cum regibus? Aut quid Episcopis cum Palatio* „? Doctrinæ hujusmodi assentitur S.Optatus Milevitanus, sed falsæ non assentitur historiæ. Itaque respondit Parmeniano = „ Si Nota est nosse Reges, vos tota per„ fundit invidia. Nam Majores vestri Imperatorem „ Constantinum rogaverunt. Constantinus vero cum „ magno livore rejecit preces dicens = Petitis a me „ judicium in sæculo, cum ego ipse Christi judicium „ expectem „. Et cum Donatistæ judicio Miltiadis Papæ essent de falsitate convicti, Cæcilianus vero absolutus, ac ideo factiosi illi cum appellationem interposuissent, Constantinus exclamavit iratus = *O rabida furoris audacia: sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt* (2). Doctrinam eamdem prosequutus est S. Joannes Damascenus, qui summa constantia restitit Leoni Isaurico Imperatori Iconoclastas foventi; Inquit enim „ Imperatoris edicto obtem„ perari non permittemus, Patrum consuetudinem „ evertere conantis; neque enim Religiosorum fue„ rit Imperatorum Ecclesiasticas convellere Sanctio„ nes (3). *Nam penes Imperatores potestas non est*, „ *ut*

(1) Sulp. Sev. Sacr. Hist. lib. 2. in fin.

(2) Optat. Milev. cont. Parmen. lib. 1.

(3) Joan. Damasc. Comment. ad Testim. Patr. post prim. Orat. de Imaginibus.

„ *ut Ecclesiis leges sanciant* (1). Attende enim quid „ dicat Apostolus. Quosdam quidem posuit Deus in „ Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, „ tertio Pastores & Doctores ad perfectionem Eccle- „ siæ, *non adjecit Imperatores* (2) „. Quæ cum ita sint concludebat Sanctissimus ille vir. „ Tibi parebi- „ mus, o Imperator, in iis quæ ad hujus sæculi ne- „ gotia pertinent... Verum ad res Ecclesiæ statuen- „ das, Pastores habemus qui nobis verbum loquuntur, „ atque Ecclesiastica instituta tradiderunt „ (3).

XIII. Quamobrem Galliarum Episcopi, dum jus illud a Ticinensi Scriptore tributum Imperantibus negant, nonnisi per derivationem ab ipsa Ecclesia, speciem jurisdictionis repetunt, quam aliquando exercent in res, quæ sunt potestatis Ecclesiasticæ. In sexto enim Parisiensi concilio congregati loquuntur ad Ludovicum Pium Augustum „ Principes sæculi nonnumquam „ *intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent*, ut „ per eamdem potestatem disciplinam Ecclesiasticam „ muniant. Ceterum *intra Ecclesiam potestates neces- „ sariæ non essent*, nisi ut quod non prævalet sacerdos „ efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc im- „ peret per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum „ terrenum, cæleste regnum proficit, ut qui intra Ec- „ clesiam positi, contra Fidem & disciplinam Eccle- „ siæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque „ disciplinam, quam Ecclesiæ utilitas exercere non „ prævalet, *cervicibus superborum Potestas Principalis „ imponat*.... Est & aliud in Christiana Religione „ magna administratione dignum, eo quod leges hu- „ manę, quæ plerumque peccare volentibus, terrorem „ potius, quam Christi præcepta incutiunt, majo- „ rem

(1) Idem. de Imag. Orat. 2.
(2) Ad Corinth. ep. 1. c. 12.
(3) Damasc. Orat. 2. cit. paul. infer.

„ rem vim quam divinæ habere videantur &c. „ (1).

XIV. Non dissimili firmitate posterioris ævi episcopi ejusdem regni se gesserunt cum Carolo Sexto Francorum Rege, cui post objectam auctoritatem Ambrosii, ac insuper exempla Caroli magni, Caroli Calvi, Roberti, ac Sancti Ludovici, libere dixerunt = *Sed nonnisi cum vita jubemur libertatem Ecclesiasticam relinquere indefensam, nec pro trasitoria pace mundi perdere sempiternam* (2). Profecto ibidem non agebatur præcipue, nisi de obtinenda exemptione, & libertate subsidii quadraginta solidorum supra qualibet, ut vulgo vocatur, *cauda vini* de novo impositi. Auctoritas autem Ambrosii, qua utebantur Gallicani Patres, excerpta est ex ejus epistola ad Marcellinam Sororem superius a nobis laudata, & est hujusmodj „ Convenior „ ipse a Comitibus & tribunis, ut Basilicæ fieret matura traditio, dicentibus Imperatorem *jure suo uti*, „ eò quod in potestate ejus essent omnia. Respondi si a „ me peteret quod mecum esset, id est fundum meum, „ argentum meum, quidvis hujusmodi meum, me non „ refragaturum, quamquam omnia quæ mea sunt, essent „ Pauperum; verum ea quæ Divina, Imperatoriæ pote„ stati non esse subjecta „. Et paullo post subdit. „ Al„ legatur Imperatori licere omnia, ipsius esse univer„ sa. Respondeo. Noli te gravare Imperator, ut pu„ tes te in ea, quæ Divina sunt, *Imperiale aliquod jus* „ *habere*. Noli te extollere, sed *si vis diutius impe*„ *rare, esto Deo subditus*, scriptum est; quæ Dei Deo, „ quæ Cæsaris Cæsari; *Ad Imperatorem palatia perti*„ *nent, ad Sacerdotem Ecclesiæ*. *Publicorum tibi mœ*„ *nium jus commissum est, non Sacrorum* „ (3).

XV. Supe-

(1) Concil. VI. Parisiens. lib. 2. c. 2. & 7. Concil. Galliæ Tom. 2. pag. 526. edit. Paris. 1629.

(2) Episcopi Eccles. Gallic. epist. ad. Carol. VI. Concil. Lab. tom. 12. col. 306. (3) Amb. ad Mar. Sor. epist. 14.

XV. Superius diximus, maxime vero cum Augustino, Ecclesiam ad seipsam regendam, suis pollere legibus, suisque prærogativis, quibus ad modum regni, Reiquepublicę bene constitutæ, Christus Divina sua virtute, & omnipotentia fundatam voluit, ac proinde eam non indigere auxilio Imperii, ut se suosque gubernet; quemadmodum non indiguit ut nascęretur & cresceret. Oritur enim atque protenditur Ecclesia nemine auxiliante nisi Deo, atque invitis etiam omnibus Mundanis potestatibus. Quare per tria priora sęcula ut diximus nullam imploravit opem a Regibus, & contra Ethnicorum furorem, contra malos filios, contra rebelles hęreticos atque Schismaticos, non adhibuit nisi vim suam, quę nunquam magis claruit, quam sub ipsis persecutoribus. Et revera vex invenitur exemplum in tertio Ecclesię sęculo contra Paulum Samosatenum, eam adhibuisse temporalia media, quę ab Imperatoribus impendi poterant, ab iisque mutuari. Frequentiora habentur exempla post Constantinum, cujus opera Imperium cum ad Ecclesiam transierit, Imperatores Christiani *ont conclù* (inquiunt quidam celeberrimi Galliarum scriptores) *qu' ils ètoient en droit, & même en obligation de publier leur loix executoriales des Canons de l' Eglise, les quelles serviroient d' une maniere plus autentique a maintenir son unitè* (1). Quomodo ergo Summus Imperans, qui, Ambrosio judice, neque jus habet in sacra mœnia templorum, potest illud habere in Universam Ecclesiæ disciplinam, in Sacros ritus & Cęrimonias ecclesiasticas, in totum hominem exteriorem, in sacra etiam; ac insuper hæc omnia, si fides haberetur Ticinensi, ratione sui principatus, non autem jure

 dele-

(1) Præfat. edit. Patrum Oratorii præmissa ad opus postum. Thomassin. cui Titulus est: Traité des Edits & des autres moiens dont on s' est servit pour maintenir l' unité de l' Eglise Catholique.

delegato ab ipsa Ecclesia, ex quo *Christianus est*, *ejus advocatus*, *protector & defensor*, uti merito gloriabatur esse Imperator Sigismundus in medio Constantiensi Concilio? (1) Et quis vere Christianus quin credat ejusmodi scriptori, non potius fidem prestet Ambrosio, *magno illi veri doctori*, *in optimis noto Orbi terræ*, qui teste Augustino, *saluberrime docebat salutem*? (2)

XVI. Quæ cum ita sint latissime quidem patet ex Evangelio, atque communi Sanctorum patrum doctrina, Religionem nequaquam Societati subesse, aut Civilibus Potestatibus, quę Societatem gubernant, sed contra Societatem Christianorum subesse Religioni, a qua Societas perficitur atque dependet. Vel si omnino Scriptor ille contendat Religionem Societati subesse, dicendum insuper erit a Societate ita pendere, ut non alia religio sit admittenda, quam Religionis spectrum, seu falsa illa Religio, quæ dicitur *Politica*, seu potius *Civica*, aut *Poetica* Ethnicorum more, de qua uti suo loco videbimus, docte loquuti sunt Lactantius & Augustinus. Quare argumenta seu potius Sophismata, quibus utitur Ticinensis ad religionem universam subigendam Civilibus Potestatibus, donari aliquo modo possent viro causidico, sed omnino improbari debent non tantum in homine Christiano atque in Catholico Sacerdote, qui Augustini Discipulum esse vellet, sed etiam in graviore Philosopho, qui non vitiis hominum, sed rerum Divinarum humanarumque natura omnia metitur.

CA-

(1) Concil. Lab. tom. 12. col. 113. & 120.
(2) August. Confess. lib. 5. cap. 13. & lib. 6. cap. 2.

CAPUT IV.

De ea quæ apud Ethnicos dicebatur Religio, ac de vario ordine ac dignitate ipsius.

I. Ticinensis Auctor ut ad propositum sibi finem deveniret, ut scilicet probare videretur Religionem generatim sumptam ad Summum Imperantem Jure principatus pertinere, asseruit „ Hinc apud Gentes omnes commissa Regibus cura fuit religionis atque Sacrorum. Reges sane cum apud Græcos, tum „ apud Romanos divini cultus procurationem habebant .... Nam Summus Imperans erat omnium sacrorum, ac religionum judex & præses, eum Romæ „ *Pontificem Maximum* renuntiatum a populo fuisse in „ Comitiis. Quam appellationem retinere postea voluerunt Imperatores, ut facilius ipsi universas religiones & sacra in sua haberent manu „. (1) Hęc quanquam imperite dicta, tamen omittere utique possem, nisi auctor ille protraheret ad eam, quæ unice vera est religio Christiana, cui falsitatem Historiæ totis viribus nititur accommodare, ut apud indoctos, imperitosque falsitatem dogmatum eruat. Verum assertio perit æque ac accommodatio. In primis enim miror, scriptorem illum non meminisse docere Apostolum, nostrum non esse judicare de Infidelibus, iisque omnibus qui sunt extra Ecclesiam (2). Quamobrem habuerit nec ne Summus Imperans plenissimam jurisdictionem in ea, quę sacra dicebantur apud Gentes, nihil omnino refert. Ex hoc enim concludere minime licet eamdem habere apud Christianos. Equidem Ticinensis, qui de magno Augustino gloriatur (utinam merito) ignoravit vel ignorasse fingit, quamlibet falsam religio-

(1) Cap. 14. §. 4. pag. 309.
(2) 1. Ad Corinth. c. 5. v. 12.

ligionem nonnisi improprie & abusive religionem vocari, eamque revera non esse nisi adinventionem humanam, humanamque institutionem, quæ nullam a Deo habere potest originem, queque igitur subjacere utique debet Societati, Civilibusque Potestatibus.

II. „ *Quæ cum ita sint*, ait S. Doctor, *neque in*
„ *confusione Paganorum*, *neque in purgamentis Hære-*
„ *ticorum*, *neque in languore Schismaticorum*, *neque*
„ *in cæcitate Judæorum quærenda est religio*, sed apud
„ eos solos qui Christiani, Catholici vel Orthodo-
„ xi nominantur: integritatis custodes, & recta
„ sectantes. Hæc enim Ecclesia Catholica, per to-
„ tum orbem, valide lateque diffusa, omnibus erran-
„ tibus utitur ad profectus suos & eorum corre-
„ ctionem, cum evigilare voluerint (1). Quare Sanctus Augustinus, post Ethnicorum illum Pontificem Scævolam, qui sapientissimus habebatur, rectissime docet Gentium religionem triplicis generis esse; a Poetis, a Philosophis, & ab Imperantibus, nunquam vero a Deo. „ Primum genus nugatorium dicit
„ esse, quod multa de Diis fingantur indigna: secun-
„ dum non congruere Civitatibus, quod habeat aliqua
„ supervacua, aliqua etiam quę obsit populis nosse.
„ De supervacuis non magna caussa est. Solet enim &
„ a viris peritis dici: superflua non nocent. Quæ sunt
„ autem illa, quæ prolata in multitudine nocent? Hæc,
„ inquit, non esse Deos Herculem, Æsculapium, Ca-
„ storem, Pollucem. Proditur enim a doctis, quod
„ homines fuerint, & humana conditione defecerint.
„ Quid aliud, quam quod eorum, qui sunt Dii non
„ habeant Civitates vera Simulacra: quod verus Deus
„ nec sexum habeat, nec ætatem, nec definita Corpo-
„ ris membra? Hæc Pontifex nosse populos non vult,
„ nam

(1) Aug. De ver. Relig. sub init.

„ nam falsa esse non putat. Expedire igitur existimat „ falli in religione Civitates. (1)

III. Ex his ergo patet latissime, non aliam religionem neque aliam Theologiam inter gentes adhibitam usuque habitam viguisse, quam poeticam & Civilem. Itaque mirum non est, si apud ipsas interdum religio ad Summum Imperantem pertineret. Civiles enim Magistratus magnopere formidabant religionem, quæ a philosophis tradebatur; quæ licet non æque irrationalis esset ac reliquę, cum Civili tamen & Politico eorum statu magis pugnare solebat. Hinc omnibus satis superque compertum est, Romanos proceres aut Epicureos fuisse, Deosque omnino tollere, aut multitudinis caussa posuisse nomine tenus; & de omnibus ad religionem pertinentibus dubitasse. (2) Idem non immerito potest affirmari de Græcis. Quare sapientissime docuit Firminianus Lactantius, Ethnicorum religionem, cum tota sita esset in ritibus adhibendis pro externo Deorum cultu, morum non fuisse magistram, neque ipsorum Sacerdotes rectę santæque vitæ extitisse doctores. Sola philosophia, quę vulgarem Ethnicorum religionem minime redolebat, morum disciplinam apud ipsos complectebatur, cujus interpretes erant Philosophi, qui e contrario de sacris Deorum ritibus nihil differebant. Hinc ratio liquet cur apud Ethnicos, mores, morumque regulæ a cujuslibet hominis arbitrio penderent, religio vero non sic. Ipsa enim cum esset non civis unius vel alterius, sed Civitatis, Reipublicæ, vel Imperii, ad Civitatem, Rempublicam, vel Imperium spectabat. Sed ipsum audiamus Lactantium.

IV. „ Deorum cultus (ait ipse), ut in priore libro „ docui, non habet sapientiam; non modo quia Di„ vinum animal hominem terrenis, fragilibusque sub-

 „ sternit;

(1) August. De Civit. Dei lib. 4. c. 27.
(2) Cicer. de Nat. Deor.

„ sternit; sed quia nihil ibi differitur, quod proficiat „ *ad mores excolendos, vitamque formandam; nec habet inquisitionem aliquam veritatis*, sed tantummodo „ ritum colendi; qui non officio mentis, *sed ministerio corporis constat*. Et ideo non est illa religio vera judicanda; quia nullis justitiæ, virtutisque præceptis erudit, efficitque meliores. *Itaque Philosophia, quia in illis religionem; id est, summam pietatem non habet, non est vera sapientia*„ (1). Hinc Augustinus „ Non sit nobis (inquiebat) religio in „ Phantasmatibus nostris. Melius est enim qualecunque verum, quam omne quidquid pro arbitrio fingi potest „ (2) Itaque Religio Ethnicorum, superstitio scilicet, qua ipsi ducebantur, quomodocumque circumspiciatur, vel Poeticam consideres, vel Civicam, vel Philosoficam, exteriorem hominem tantummodo respicit, non interiorem. Non enim in conscientia inest, neque dici potest a Deo hominibus datam, ut eorum formarentur mores, ut Deum colerent in Spiritu, & veritate, ut denique ad ultimum finem ipsi ducerentur. Quare ipse Augustinus animadvertit, *hominum velut prudentium & sapientium negotium fuisse, populum & religionibus fallere, & in eo ipso non solum colere sed imitari etiam Demones, quibus maxima est fallendi cupiditas*. (3)

V. Quę vero magis erat in usu apud Gentes, civica scilicet Religio, ideam tantum præsefert quarumdam pactionum, quæ inter homines in Societate positos initæ conspiciebantur, ut sese mutuis officiis prosequerentur. Itaque immerito vocabatur Religio, quæ humana tantum auctoritate pollebat, non autem Divina. Quid ergo Scriptor Ticinensis fabulatur de Gentilibus eorum-

(1) Lact. Firm. Divin. Instit. lib. 4. de vera Sapient. c. 3.

(2) Aug. de ver. Relig. prop. fin.

(3) August. de Civ. Dei lib. 4. c. 32.

eorumque religione? Quid de Græcis, quid de Romanis, quid de aliis antiquioribus populis? Etenim Græci, Romani, & Ægyptii qui inter antiquas Ethnicorum Nationes celeberrimi extiterunt, suos habebant Sacerdotes, quibus tota Religio demandata erat; quique Mysteriorum suorum tantam curam habebant, ut Summos Reges & Imperatores, vix sacris iisdem initiare dignarentur, quique præ ipsis Regibus habebantur. Ægyptii enim, ut optime observat Pierius Valerianus *quamvis Regem suum tanto cultu & obedientia prosequerentur, supra Regem tamen, qui Meroem incolebant, Memphitici Sacerdotes habebant.* (1) *Quare Ægyptii Sacerdotes suos nobilitatis gratia papyraceis calceis insignibant, neque eos iis ex alia quapiam materia contextos ferre licebat* (2). Insuper rectissime animadvertit idem auctor non Sacerdotium penes Ægyptiorum Reges, sed penes Sacerdotes Imperium ipsorum extitisse (3). Ita ut quamquam minime repugnet Sacerdotem Regem simul esse, & Regem aliquando Sacerdotem, repugnat tamen præsertim apud Christianos, Sacerdotium Regi subesse, vel a Rege pendere. Nam Christus non fundavit Ecclesiam ut Imperio terreno serviret, sed regna constituit Deus ut servirent Ecclesiæ.

VI. Apud Græcos autem & Romanos, omnes Dii Deæque suos habebant Sacerdotes, qui sacris præerant, sacrificia peragebant, & universam religionem administrabant (4). *Plures autem Deorum omnium*, ait Cicero, *singuli singulorum Sacerdotes, & respondendi juris*

(1) Pier. Valer. Hieroglyphica, seu de Ægypt. Sacris. lib. 20. Artic. *Mors.* Vid. etiam Rollin. Hist. antiq. Tom. 1. ubi de Ægyptiis.

(2) Pier. ibid. lib. 57. artic. *Sacerdotium.*

(3) Idem. ibid. lib. 14. art. *Sacerdotium Sacrosanctum.*

(4) Vid. Natalis Comitis Mythologiæ lib. 1. cap. 8. & 10. lib. 2. 3. & 4. passim.

ris & confitendarum religionum facultatem afferant (1). Inter Romanos vigebat præsertim jus quod Pontificium dicebatur; quamobrem Pontificum *jus erat dicere de rebus* sacris, & Religione, atque inter eorum decreta hoc maxime quærebatur quid sacrum, quid sanctum, quid religiosum (2). Itaque Cicero hoc exordium fecit orationis pro Domo sua ad Pontifices =
„ Cum multa *Divinitus* Pontifices a Majoribus Nostris inventa atque instituta sunt, tum nihil præclarius quam quod vos eosdem & Religionibus Deorum Immortalium & Summæ Reipublicæ preesse voluerunt, ut amplissimi & Clarissimi Cives rempublicam bene gerendo, Pontifices Religionis sapienter interpretando Rempublicam conservarent. „ Neque officit quod in Comitiis eligerentur Pontifices, nam post ipsorum inaugurationem, plus quam humana auctoritate dignitateque insigniri, & divinitus eligi putabantur a Romanis, ac ideo *Antistites Deorum Immortalium* vulgo dicebantur (3); rursusque Religionem a Diis quasi traditam Sacerdotibus suis Romani tuebantur (4). Itaque Tullius docuit „ In ipsa autem communitate sunt gradus officiorum, ex quibus, quod cuique præstet, intelligi possit; ut *prima Diis* Immortalibus, secunda patriæ, tertia parentibus &c. „. (5) Ex quibus patet Tullium putasse sublimiorem quandam Religionem, non a Patria, ac ideo non a Societate, neque a Summo Imperante, sed a Diis Immortalibus pendere.

VII. Sed

(1) Cic. de Leg. lib. 2.

(2) Vid. Macrob. Saturnal. lib. 3. c. 3. Aul. Gall. Noct. Attic. lib. 10. c. 15.

(3) Cic. Orat. *pro Domo sua*.

(4) Cic. de Legib. lib. 2. Vid. etiam Sigon. de antiq. jure Rom. lib. 1. cap. 19. de Sacerdot.

(5) Cicer. de off. lib. 1. cap. 46.

VII. Sed prçter Romanos, Grçcos & Ægyptios, qui ceteris nationibus longe cultiores erant, etiam Gentes quæ magis barbarç existimabantur, suos habebant Sacerdotes, ad quos *privative* tota Religio pertinebat. Sic apud Gallos antiquos, omnesque Celticas Nationes Druidç erant; (1) inter Persas celebriores sunt Magi; inter Indos Gymnophisistæ seu Brachmanes; apud Sinenses Bonzi, & apud alias Nationes alii habebantur Sacerdotes, quibus tota religio erat omnino concredita: ex quarum universali consensu patet ad Civiles magistratus jus inspiciendi in Sacra Religionis nunquam pertinuisse. Siquidem apud Gentes omnes per Orbem universum dispersas, quç religionis veritatisque leviora conspiciuntur vestigia, indicant profecto communem ab exordio mundi originem habuisse, quanquam apud Judços tantum in sua integritate manserint usque ad Christum; apud Christianos vero perduratura sint usque ad finem mundi.

VIII. Attamen si adversarius adhuc tuendo sua, manus victas dare noluerit in hac disputationis parte, esto quod Magistratus Civiles apud Ethnicos plenissimo jure inspicerent in Religionem. Quid ad nos? Num comparanda erit cum hominum adinventis superstitionibus illa unice Religio vera, quam Deus ob infinitam suam Misericordiam erga genus humanum certis hominibus revelavit, dedit, auxit, concredidit; eamque ab Judæis ad Christianos transferens, donat ipse, ut credant, & opere credendo perficiant? Num de falso Deorum Cultu idem judicium ferendum est, ac de cultu quem Deo vivo & vero præstat Christianorum Ecclesia? Quid refert apud Romanos, extincta republica, Summos Imperantes, ut omnia jura, potestatemque Civilem sibi veluti centro conjungerent ac vindi-

(1) Vid. Discour. sur la relig. des Gaul du Pere de Longueval.

vindicarent, suam dominationem exercuisse etiam in ea, quæ sacra habebantur ab ipsis; cum rerum omnium Dominus Deus Ecclesiam fundaverit, ipsique dederit Religionis Ministros, quibus docuit morum scientiam, & sacra mysteria consisit, eo sublimiore ordine, ut quemadmodum Sacerdotes in Civilibus subditi permanerent Imperio; ita Imperium & Summi Imperantes in rebus ad Religionem pertinentibus Sacerdotibus subjicerentur? Num ex moribus Ethnicorum erui potest regula juris dicendi in Sacra Christianorum, aut inde concludi veritatem illius falsissimæ propositionis, *Publicam scilicet Religionem generatim sumptam*, maxime vero, *quoad publicam doctrinam quoad cærimonias ritusque*, ad Summum Imperantem eo pertinere, *ut ejus sit illam statuere communibus suffragiis*? Hinc Bossuetus ait,, Nempe Druidæ, Augures & Extispices non erant ,, divino numine constituti; tam falsi Sacerdotes, quam ,, falsa erant numina, quibus serviebant, Civitatum ,, ac Principum auctoritate jus eorum invaluit. Quis ,, autem dubitat partem aliquam publicæ potestatis in ,, eos lege lata conferri potuisse, cum etiam legamus ,, in quibusdam civitatibus cum Sacerdotio Regnum ,, fuisse institutum ,, ? (1)

IX. Ergo Propositionem illam quemadmodum falsissimam esse patet ex hucusque dictis, ita etiam ex eo quod Religio generatim sumpta vel supponitur respicere hominem (ut ipse nascitur) solitarium, agrestem, a Societate omnino alienum, & qualibet Divina Revelatione destitutum; vel in ea Societate positum, cui minime innotescat Revelationis gratia, & cui desit quodlibet supernaturale auxilium ad veram cognoscendam religionem. In utraque hypothesi, religio quæ *civica* non sit, politico scilicet regimini accommodata

(1) Bossuet. Defens. Cler. Gallic. part. 2. lib. 5. cap. 4.

modata, potiùs in cujusque manet arbitrio, quam subsit Imperantibus. Etenim in utraque hypothesi regerentur homines vel sola Philosophia, vel Poetarum fabulis, quæ omnia pendere a legibus Societatis, & Summorum Imperantium absurdum est affirmare. Insuper mitto Scriptoris Ticinensis doctrinam aptissimam esse ad firmandum statum illum, quem dicunt *puræ naturæ*, quemque licet sæpius respuere affectet, perspicuum tamen est facta ejus cum dictis discrepare.

X. Si vero loquatur de illa, quæ Civica dicebatur religio, superius diximus eam non excedere potestatem humanam, quamobrem Civilium legum naturam minime excedit,& nonnisi callide religio vocaretur,ut clarissimis rebus tenebræ obducerentur.Quare non ineptè, neque immerito, uti scriptor ille nugatur, ab Imperante ablegatur jus in sacra, plenissimum vero assentiamur habere, si velit, in ea quæ sacra non sunt, sed sacrilega,atque superstitiosa hominum inventa. Ex hoc oriri similiter arbitramur jus Principum Catholicorum, animadvertendi in Hæreticos ab Ecclesia damnatos, in falsas sectas, in templa Sacrilega, & generatim in omnia quę non a Deo, sed ab hominibus sunt, quæque in exteriorem & publicam actionem profluunt. Ex hujusmodi principio manant ergo leges Imperatorum contra Hæreticos, & ipsorum conventicula, maxime vero Constantini, Theodosii, Gratiani, Marciani aliorumque, qui post latas ab Ecclesia leges, suosque Canones, etiam ipsi Hæreticos damnarunt. Ex quo mos arguitur in Ecclesia, contra quem nihil valent philosophantium quærelæ. Sed de hoc alibi. Nunc transire oportet ad Judæorum religionem, qua Ticinensis abutitur immodice ad suos tuendos errores. Sit ergo.

C A.

CAPUT V.

De Religione Judæorum ac de nullo jure Imperantium in ipsorum Sacra.

I. IN Superiori capite quemadmodum Ticinensem vidimus aberrantem a veritate, vel doctrinam respicias vel historiam, ubi de Gentium religione disserit; ita in præsenti videbimus de Judæorum Religione eo perniciosiora proponere, quo majori fiducia tradere prima fronte videtur, quasi certissima eruerit ex sacris libris Veteris Testamenti. Ait enim pag. 311. „ Summus igitur Imperans in Hæbraica republica omnia tum civilia, tum sacra gerebat per eos, quos „ eidem præfecerat, scilicet vel per judices vel per „ Reges, qui propterea & leges interpretabantur, & „ quęstiones de Sacris dirimebant, & Deum consulebant, & sacris præerant Ministris. Politicis quidem „ Sacrorum Moderatoribus etiam Sacerdotes adjunxit; atque his quædam munera reservavit, cujusmodi erant aram adolere, victimas offerre &c. Sed „ publicum divini cultus regimen, ac judicium de rebus ad religionem pertinentibus ad politicum ita „ pertinuit, ut una munerum Sacerdotalium executio Sacerdotibus reservata fuisset. Hæc sacerdotalium munerum distinctio umbra, ac typus erat novi Sacerdotii instituendi per Christum &c. pag. „ 312. „ Quis unquam vidit magis confusa & inordinata! Nititur probare auctor ille, Summum Imperantem in Hebræorum republica, ratione sui principatus, jus habuisse non tantum in Politicis, verum etiam in Religiosis, leges interpretandi, quæstiones de sacris dirimendi, Deum consulendi, & sacris præsidendi Ministris. Verum ut ad propositum deveniat cum Theocratica reipublicæ forma, in qua præter Deum nemo est, qui Summus Imperans dici possit, ea confundit

fundit,quę, naturalium rerum ordine fervato, de Monarchia, de Ariftocratia, vel de Democratia dici folent, quæque ex humana inftitutione proveniunt.

II. Quis enim in Thocratia negare poffet *Summum Imperantem Deum*, qui præter naturalium rerum ordinem, proprio minifterio Judaicum populum in omnibus tam Sacris, quam politicis gubernavit & rexit jus habuiffe in religionem, & in facra ipfius? Verum argumenta pereunt ftatim ac pro Summo Imperante ponitur non Deus, fed ut idem fcriptor paullo ante definiverat, *aliqua perfona vel fingularis, vel moralis, in quam Cives jura transtulerint, ac curam adminiftrandæ totius focietatis*. pag. 305. Theocratia igitur durante apud Hebræos,abfque veritatis detrimento dicere quifque poffet, Deum ita omnium rerum curam & gubernationem fibi refervaffe: ut una executio hominibus fuerit demandata,verum nonnifi mendaciffime eadem affirmarentur ubi, non confiderata Theocratia, fermo effet de regiminis forma, vel politica vel religiofa, quę juxta communem rerum ordinem, & vulgarem loquendi modum eft hominibus concredita, & ab hominibus miniftratur. Quare callide (ut faltem apparet) Antithefis illa ponitur pag. 312. = *Judicium de rebus ad religionem pertinentibus ad politicos* (Moderatores) *ita pertinuit, ut una munerum Sacerdotalium executio facerdotibus refervata fuiffet*. Callidiffime vero munera veteris Sacerdotii, & jura ipfius cum Sacerdotio Chriftiano ibidem copulantur.

III. Nos ergo concedimus facerdotium veteris Teftamenti figuram feu Typum extitiffe illius fublimioris ordinis Sacerdotii, quod a Chrifto in novo fędere inftitutum eft; fed jura utriufque ex Divina inftitutione eo funt ampliora, quo fublimiorem ordinem redolent, qui Politicum antecellit, quique folus, politicarum rerum moderatoribus omnino exclufis, univerfam

reli-

religionem regit atque miniſtrat. De Sacerdotio Chriſtiano, ejuſque pleniſſimo jure in Sacra religionis ſuperius diſſeruimus, Cap. 1. hujus Tractatus; ſupereſt ergo ut ea expendamus in hoc, quæ ad Judæorum Sacerdotium pertinent, veluti a Deo inſtitutore firmata pro Sacerdotibus, iiſque Divinitus concredita, ablegatis ipſorum Regibus atque Principibus. His enim neque in Politicis unquam licuit apud Hebræos, rem alicujus momenti peragere abſque Sacerdotibus; contra vero Sacerdotes omnia libere peragebant, quæ ad religionem ſpectabant, inconſultis Regibus, & magiſtratibus Civilibus. Clariſſima eſt ordinatio Divina ſuper hoc in Perſona Aaronis, qui primus omnium Sacerdos eſt conſtitutus. Nam poſt datam curam Tabernaculi, & Sacrificiorum, eorumque omnium, quæ reſpiciebant Sanctuarium „ Dixit quoque Dominus ad
„ Aaron. Vinum & omne quod inebriare poteſt, non
„ bibetis, tu & Filii tui, quando intratis in Taberna-
„ culum Teſtimonii, ne moriamini: quia præceptum
„ ſempiternum eſt in generationes veſtras. Et ut ha-
„ beatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profa-
„ num, inter pollutum & mundum: doceatiſque fi-
„ liis Iſrael omnia legitima mea, quæ loquutus eſt Do-
„ minus ad eos per manum Moyſi (1).

IV. Sed non hæc tantum concredidit Deus ſacerdotibus veteris Teſtamenti. Voluit enim ut omnia etiam Civilia judicarent una cum Magiſtratibus (2), *& ad verbum eorum omne negotium, & quidquid mundum vel immundum eſt judicetur* (3). „ Sacerdotes au-
„ tem & Levitæ filii Sadoc qui *cuſtodierunt cæremo-*
„ *nias Sanctuarii mei*.... Ipſi ingredientur Sanctua-
„ rium meum, & ipſi accedent ad menſam meam, ut
„ mini-

(1) Levit. cap. 10. v. 8 – 11.

(2) Deuter. cap. 19. v. 16. & ſeq.

(3) Deuter. cap. 21. v. 5.

„ ministrent mihi, & custodiant cæremonias meas ... „ Et populum meum docebunt, quid sit inter sanctum „ & pollutum, & inter mundum & immundum osten- „ dent eis. *Et cum fuerit controversia*, stabunt in ju- „ diciis meis, & judicabunt: leges meas, & præcepta „ mea in omnibus solemnitatibus meis custodient, & „ Sabbata mea sanctificabunt (1) „. Denique neminem latet, Deum ipsum elegisse tribum Levi, quæ per alias omnes Tribus dispersa erat, ut ubique rebus sacris & religiosis præsideret, eamque honoribus cumulasse Deum, ac sępe sępius iterasse mandata, ut populus iisdem honoribus eam prosequeretur. Quare Sanctus Hieronymus inquit „ Et in veteri quidem lege qui- „ cumque Sacerdotibus non obtemperasset, aut extra „ castra positus lapidabatur a populo: aut gladio cervi- „ ce subjecta, contemptum expiabat cruore. Nunc „ vero inobediens, spirituali mucrone truncatur: aut „ ejectus de Ecclesia, rabido Dęmonum ore discerpi- „ tur (2) „.

V. Itaque eruditissimus Pater Calmet scriptum reliquit „ Ipsi pariter Regi, inconsultis Summo Sacerdo- „ te & Senatu, nihil agere fas erat .... Summo Sacer- „ doti potissimum incumbebat leges sartas tectas ser- „ vare, dijudicare de controversiis, atque reos senten- „ tia damnatos punire; quicumque Sacerdoti parere „ recusasset, in eum tanquam lesæ majestatis Divinæ „ ultimo supplicio animadvertebatur „ (3) Sed clarius forsitan loquutus est alibi cùm scripserit „ Omnia „ ferme Isdraelis tribunalia a Sacerdotibus tenebantur, „ qui ad præscriptam mosaicarum legum normam jus „ popu-

(1) Ezech. c. 44. v. 15. 16. & 24.

(2) Hier. ad Heliod. de Laud. Vit, Solit. Int, famil. lib. 2. epist. 6.

(3) Calmet Differ. de Politia sive ratione juris dicendi apud Hebræos & potissimum de Sanhedrio.

„ populo dicebant, ſed potiſſimum æque ac nobiliſſimum ipſorum munus illud ſine controverſia habendum eſt, quod miniſterium altaris, *populi inſtitutio, ac ſtudium legis* ad Sacerdotes unice ſpectaret... „ Ampliſſimis his privilegiis muneribuſque tanta Summo Sacerdoti auctoritas conciliabatur, ut ne ipſi „ quidem Regi plurimum concederet (1) „. Calmeto conſonat Clar. Pater Bernardus Lamyus, & quotquot de rebus Hebræorum ſcripſere (2). Hinc Sanctus Optatus Milevitanus ait, *Conſortes fuiſſe Judæorum Sacerdotes, ac Reges*, quos ſingulos unctos *ab hominibus conſtat* (3). Ex quibus omnibus, aliiſque quę brevitatis gratia præterire opus eſt, manifeſte evincimus contra ſcriptorem illum, veteris Teſtamenti Sacerdotes ſua legatione fungi immediate a Deo, non vero a Politica Poteſtate, nec unam *Sacerdotalium munerum executionem*, verum etiam ſupremum judicium ipſis fuiſſe Divinitus reſervatum.

VI. Verum quidem eſt apud Judæos, mutato regimine Politico, & cum perventum eſt ad Reges, multa pro ſuo arbitrio ipſos illicite aliquando feciſſe, etiam circa Religionem. Sed in primis obſervandum eſt Reges datos fuiſſe Judęis potius in pænam, quam in ſubſidium; & ideo Regum prevaricationes, & violentias Divinitus fuiſſe pręmdictas, uti fuſius Divina monet Hiſtoria (4). Attamen qui antiquitates Judaicas vel a limine ſalutavit, minime ignorat, Summorum Sacerdotum auctoritatem uſque ad Aſſomonæorum regnum plurimum viguiſſe: ſed cum reſpublica Hebræorum properaret ad finem propter Meſſiæ adventum, tum maxi-

(1) Calmet. Differt. de ordine & Succeſs. Summor. Sacerd. apud Judæos.

(2) Lamy. Appar. Bibl. lib. 1. c. 8. 9. 11. 12. paſſim.

(3) Optat. Milev. cont. Parm. lib. 4. prop. fin.

(4) 1. Reg. cap. 8. per. tot.

maxime fuisse imminutam, atque interdum cum suprema Reipublicę dignitate sociatam. Sed hoc non probat regimen Ecclesiæ Judaicæ vel Christianæ a Civili Potestate ullo modo pendere, sed tantummodo ostendit Ecclesiæ regimen, & regimen Imperii non inter se repugnare, ut in eadem persona nequeant optime copulari. Melchisedech enim, cujus Sacerdotium figura erat Sacerdotii Christiani, fuit simul Rex Salem, & Altissimi Sacerdos (1). Sic Moyses, sic Eli, sic Samuel, sic Machabæi. Præterea Christus quamquam humilis advenerit in forma servi, tamen princeps Regum terræ appellatur (2), qui fecit nos (Apostolos) regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo, ac ipse de se testatus est = Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra (3). Verum non ita se res habuit de Magno Herode qui, ut ait idem Calmet, *e re sua judicavit, si a Sacerdotio, eadem familia amota, arbitrariam & ad nutum Principis conferendam* (Summi Sacerdotis) *dignitatem præstaret* (4). Hinc Sulpicius Severus egregie dixit, „ *Judæi per Sacerdotes suos regebantur, patrioque ritu* „ *vivebant, donec plerique eorum longa rursum pace* „ *corrupti, miscere omnia seditionibus, & turbare cœperunt, affectantes summum Sacerdotium libidine,* „ *avaritia, & dominandi cupidine* (5).

---

(1) Gen. cap. 14. v. 18.
(2) Apocal, c. 1. v. 5. & 6.
(3) Matth. cap. 28. v. 18.
(4) Calmet ubi supra.
(5) Sulp. Sev. Sac. Hist. lib. 2. circa medium.

CAPUT VI.

De duplici Christianorum obedientia & subjectione.

I. SUperius diximus Legislativas Potestates duas esse, Civilem scilicet & Ecclesiasticam; utramque a Deo Creatore vel Redemptore manare. Inde procedunt etiam duplicis generis officia, & duplex obedientia, quam Christiani tenentur præstare potestatibus sublimioribus, quibus subditi sunt. Utraque officia inter se optime conveniunt, sed quæ Dei sunt Creatoris a ratione pendere dicuntur, quæ vero Redemptoris ab auctoritate. Illa ergo licet ratione originis priora videantur in ordine, & ampliorem habere provinciam, quandoquidem omnes tangunt homines, etiamsi neque Judæi sint, neque Christiani, quibus præsertim facta est revelatio; itemque prius nobis occurrit Deus creator quam Redemptor: in usu tamen & ratione finis, propter quem hominibus in primis & ante omnia data est religio, & Divina facta est Revelatio, longe angustiores habent limites, quam quæ ab auctoritate profluere dicuntur; itaque evadunt posteriora, & rationem præcedit auctoritas, ut cum Augustino superius diximus. Rarissima quidem sunt quæ demonstrationem præseferunt, & propter humanæ rationis imbecillitatem, & propter quorumdam hominum malitiam, qui ut incautos rudesque depiciant, etiam rebus clarissimis tenebras obducunt.

II. Verumtamen Ticinensis auctor cum velit universam religionem circa omne id, quod extrinsecus habet, pertinere ad Imperium, affirmat leges & definitiones Ecclesiæ, posse aliquando omnem vigorem non habere obligandi conscientias fidelium, nisi prius cooptentur in leges etiam Civiles, atque transeant in leges Imperii. Exemplum vero affert Gallorum Regum, qui nunquam precibus Romanorum Pontificum & Episcopo-

ſcoporum regni putarunt aſſentiendum, ut Synodus Tridentina in legem regni cooptaretur.„ Aliud, (inquit) hujuſmodi moderationis Eccleſiaſticę exem-
„ plum afferam, antequam e Galliarum regno diſce-
„ dam. Poſt celebratam Synodum Tridentinam, Re-
„ ges, ac Principes Catholici ipſius decreta in ditio-
„ nibus ſuis promulgarunt,ſuaque auctoritate ac legis
„ ſanctione firmarunt. Reges Galliarum, ac Magiſtra-
„ tus quibusdam de cauſſis jam ſatis perſpectis, id ef-
„ ficere noluerunt, quamvis ut id facerent, ſæpenu-
„ mero conſiliis, monitis, precibus excitati fuerint a
„ Pontificibus Romanis, ac vel ab ipſo Clero Galli-
„ cano .... At nunquid minus Catholici Reges, Ma-
„ giſtratus, populique Galliarum? An ne cum iis ac-
„ tum eſt ab Eccleſia, perinde ac eſſent publici pec-
„ catores,excommunicati,rebelles? Nihil minus(1).„

III. Quid intereſt hoc? Quum præter nonnulla ad diſciplinam ſpectantia, non minus apud Gallos, quam apud ceteros Catholicos, Synodus Tridentina habita ſit œcumenica, & vigorem ſemper habuerit habeatque firmiſſimum? Etenim non eſt niſi mendacium atque calumnia in Gallos dicere, ab ipſis Concilium Tridentinum non adhuc eſſe receptum,quod in ſuis Comitiis ſæpe univerſi Epiſcopi receperunt. Legi poſſunt Canones, quos aliud agendo præſcripſit Boſſuetus, & apertiſſime quiſque videbit acceptationem illam,de qua Ticinenſis loquitur, nihil ut ita dicam, ponere in eſſe quoad obligationem. „ Car 1. on n'a pas beſoin d'ac-
„ ceptation particulier des choſes où l'on ne fait que
„ rentrer dans le droit commun; 2. Il ſuffiroit pour
„ fair caſſer les Privileges en tant que contraires au
„ Concile de Trentes,que le Pape eût approuvé ce
„ Concile où il ſont été révoques „. Et paullo ſuperius

(1) Cap. 8. §. 14. p. 151. & ſeq.

rius dixerat „ on voit encor par tout cela que la di-
„ scipline ètáblie par le Concile de Trente, n'étoit
„ pas nouvelle ; puisqué il ne fait, que reprendre &
„ executer ce qui avoit èté réglé dans le Concile de
„ Vienne (2) „. Aft si Ticinensis, vel quis alius plura desiderat super hoc, videat Acta illius Tribunalis, quod apud Gallos vocatur = ***Cambre Ecclesiastique*** aux E-
„ tats generaux de 1614. & 1615. dans le Séance du
„ 29. Novembre pag. 122. „ atque uberius patebit quidquid ad publicationem spectat Conclii Tridentini in Ecclesia & in regno Galliarum. Præsertim vero legat quod in Mercurio Galliæ Præsidens Mironius super rem hujusmodi Episcopis respondit. Nobis satis erit pauca transcribere, ut auctor Ticinensis desinat aliquando nobis objicere res Galliarum, quas perperam jactat. „ L'exemple du premier Concile rapporté aux
„ Actes des Apôstres, nous donne une assurance en-
„ tiere que l'Assemblée des Conciles est la voix du
„ Saint-Esprit; puisque Saint Pierre prononce, ***Vi-***
„ ***sum est Spiritui Sancto & nobis***. Ce n'est à nous qui
„ sommes Laïcs d'entrer en connoissance de cause pour
„ ce sujet, nous contentant d'en apprendre les réso-
„ lutions par la bouche de nos Pasteurs, auxquels nous
„ adhérons trés-religieusement. Mais nous les sup-
„ plions de considérer qu'il ***est inouï que jamais on ait***
„ ***procédé en ce Royaume à aucune promulgation de***
„ ***Concile, combien que œcuménique***; ***il n'y en a au-***
„ ***cun dans les Registres du Parlement ni ailleurs***. Aus-
„ si la vraie publication des Conciles git én l'obser-
„ vance & exécution d'iceux, comme pour exemple,
„ il se pratique beaucoup de choses du Concile de
„ Trente parmi nous, sans que pour cela il nous soit
„ nécess-

(1) Bossuet Changem. de discipline & moderation des esemptions par les conciles de Vienne & de Trente Remarques §. 1. & 3.

„ nécessaire d' en exprimer le nom ; n' étant ni Tren- „ te , ni Constance , ni Basle qui aient fait les Conci- „ les ; mais les résolutions des Peres qui y ont été as- „ semblés„ (1). His igitur positis, num debuisset Ecclesia propter civiles tantum actus negatos, habere Gallorum Reges Christianissimos,piissimosque, eorumque magistratus tanquam publicos peccatores, rebelles, & excommunicatos? An moderatio judicis elucet, fulgetque in non damnando homine justo, vel in absolvendo qui absolutione non eget? Etenim quot leges Ecclesiæ non transeunt ad publicam legem Imperii; & e contra quot leges Imperii non cooptantur in leges Ecclesiæ? Quin cessent utreque pro modulo suo obligare Civium Christianorumque conscientias; & quin Ecclesia & imperium ad invicem separentur? Verum generatim loquendo quamvis pia mater Ecclesia non semper legum rigorem adhibeat in errantes & peccatores, tamen ex illius moderatione Scriptori Ticinensi non licet argumentari quod minus peccent.

IV. Ecclesia, uti jam diximus, suam habet jurisdictionem in homines, non uti Cives, sed uti Christianos; contra vero Imperium in quantum imperium est, Christianos non respicit, sed Cives. Hinc est quod Civilis potestas prohibet, ac punit furta, homicidia, adulteria, & alia similia, non quatenus peccata sunt contra legem Dei, uti facit Ecclesia, sed quatenus peccata sunt contra jura Societatis, atque conturbant Civilem Politiam. Verum, uti docet etiam Sanctus Augustinus, lex quæ regendis Civitatibus fertur, multa concedit, atque impunita relinquit, quæ per Divinam providentiam vindicantur (2). Ecclesia vero non item. Ipsa enim cum non offerat Deo, nisi hostias puras & imma-

(1) Mercure Fraçois, an. 1614. pag. 120.
(2) August. epist. ad Vinc. Rogatist.

immaculatas, cupit nullum peccatum impunitum relinquere, propterea quod Sponsa Christi fidelis perditas per peccatum Oves studet reperire, & medicinali pænitentia mundare, ut in pristinam Dei gratiam reducat. Ceterum Religio cum minetur æternam pænam, atque æterna præmia promittat, quibus vel alliciuntur homines vel terrentur, non adhibet easdem leges pænales, quibus utitur Civilis potestas contra peccantes. Non enim Ecclesia æque ac Imperium peccatores inimicos considerat, sed pia mater corripit tanquam filios ut resipiscant, ne revera inimici fiant. Quamobrem ipsius potestas potius ordinata est ad corrigendum, quam ad eradicandum; neque eradicatur nisi qui eradicari cupit.

V. Atqui non omnia quæ peccata sunt contra religionem, sunt etiam peccata contra Societatem, sed e contrario quoties peccatur in societatem, peccatur etiam in religionem. Nam Christiana religio, quæ præcipue tendit ad perfectissimam societatem componendam, præcipit ne jura societatis ullo modo violentur, ut quisque propter conscientiam subditus sit sublimioribus potestatibus, eisque obediat, tanquam Deo, in omnibus quæ statum civilis societatis respiciunt. Hinc patet religionem, quæ sola Divina ordinatione firmatur, legibus Imperii minime roborari; imperium autem legibus religionis & Ecclesiæ ita solidari, ut inde nexus Divini suboriantur, non tantum inter Ecclesiam & Imperium, sed etiam inter Principem & subditum, inter Summum Imperantem & singulos homines, qui societatem componunt, quibus Divinitus imperatur una Charitas, & anima una. Quare Christiana Religio, cum sit veræ obedientiæ, fidelitatis & subjectionis fundamentum, jura Societatis & Principatus non solum non lædit, sed firmat; & nexibus æternis non tantum hominum inter homines societatem devincit,

sed

sed etiam subditorum inter Principes obsequium stringit ac obedientiam.

VI. Igitur ubi concedamus quod nemo negare potest, Christianam Religionem docere Summorum Imperantium auctoritatem a Deo ipso profluere, iisque propterea obediendum tanquam Deo, statim intelligimus eorumdem solium in Deo ipso niti, non autem in fragili humanæ potentiæ fulcro, non in eo qui vulgo appellatur socialis contractus, neque in mutabili voluntate populorum, qui suis cupiditatibus continuo ducuntur in varia. Atque inde patet validiores etiam profluere nexus Ecclesiam inter & Imperium, hujus robur & soliditatem, atque mutua inter utramque potestatem officia. Quamobrem Imperantes cum a religione Christiana, hoc est a Deo ipsius auctore, dona tam magna pro se suoque imperio percipiant, uti homines sunt, debent ipsi religionem perdiscere, non autem docere, ac tenentur eam diligere, atque actu perficere quæ ab eadem præcipiuntur. Quatenus vero *Christiani sunt Reges* (ajebat enim Rex Arianus) *tanto Divinitati plurima debent, quanto a cæteris mortalibus majora susceperunt* (1). Et Clarissimus Galliarum Episcopus ajebat „ Le seul remede assuré „ pour sauver cet Etat, est d' appaiser l' ire de Dieu, „ en apportant une réformation en tous les Ordres; „ en quoi il faut commencer par celui de l' Eglise, a „ fin d' assurer la Religion, & par conséquent l' Etat „ du quel elle est aux Royaumes ce que le premier „ mobile est aux Cieux, ce que l' ame est au corps, „ & la forme à la matiere: & tout ainsi que les éléments, bien que contraires en soi, se maintiennent „ ensemble par les influences du Ciel, ainsi les divers „ esprits des hommes se conservent, & s'entretiennent

E 4 „ les

(1) Athalaric. apud Cassiod. Variar. lib. 8. epist. 24.

„ les uns avec les autres par le moyen de la Religion;
„ lien principal de la société humaine, & qui oblige
„ plus que toute autre chose les sujets à la crainte, res-
„ pect & révérence qu' ils doivent à leur Prince, &
„ les Prince a l'amour vers ses sujets. „ (1)

VII. Deus quippe qui religionis gratiam hominibus donavit, ut sanctam perficeret societatem, in primis & ante omnia ad suam respexit gloriam, atque fini hujusmodi debent sese principes conformare. Ergo quidquid auctoritate valent ac potentia apud reliquos homines, adhibere debent ad religionem propagandam, & ejusdem honorem promovendum. Quælibet falsa religio aut superstitio, æque ac cætera hominum adinventa, non valent hominem facere meliorem, neque societatem; quamobrem semel sauciata hominum natura protoparentis peccato, non a viribus atque potentia hominum, sed a voluntate Dei benefaciente, & a gratia Christi Salvatoris expectanda est medicina. Hinc est quod nulla falsa religio potest Imperantium solium firmare, quandoquidem non valet homines Deo conjungere sed avertere; neque vim habet subditos reddendi fideliores principibus propter conscientiam. Imperantes ergo ubi religionem Christianam protegunt, ejusque ministros gratia & favore prosequuntur, propria gerunt negotia, siquidem officiorum cognitionem prædicant erga semetipsos, Divinę legis amorem ingenerant; ac denique eo fortiori vinculo subditos sibi devinciunt, quo perfectior evadit societas cui præsunt, & quo majori sollicitudine Divinæ legi obtemperatur. Igitur ex eo ipso amore, quo Imperantes societatem prosequuntur, munera profluunt, quibus onerantur erga ipsam, quibusque tenentur quærere quod sit justum, quod rectum, & quod una sit magis utile homi-

(1) Pericard Evêque d' Avranches dans sa Remontrance à la Reine Régente, *Recueil des Remontr. pag.* 295.

hominibus quibus imperant; ac denique religionem quæ vera sit patrocinari atque tueri: & hinc vera benevolentia, qua, Tullio etiam teste, fulcitur Imperium.

VIII. Verum quidem est singulos homines blandiri sibi de veritate religionis, quam quisque profitetur; sed quemadmodum veritatis,& credibilitatis notas certissimas una Christiana,quæ Catholicorum est religio, suppeditat, ita ea sola est, per quam Imperantes Catholici cęteros principes antecellunt.Communia quippe sunt singulis Principibus ea, quæ magnifice Regale solium exterius circumdant, neque differunt jura Principatus, sed ab aliorum principum electione longe distat principum Catholicorum electio, quæ Divinitus facit Ecclesiæ Christi patronos,suæ religionis vindices, regiminis aliquo modo socios atque consortes, & Divinæ œconomiæ participes, qua Providentiâ Divina Ecclesiam regere atque ad finem perducere statuit. Quare Catholicorum obsequium erga Imperantes,tanta excellentia & sinceritate præcellit,quanto gloriosiores fiunt Catholici Principes,& securiores Ecclesiæ patrocinio.

IX. Ex hoc factum est in Imperio Romano, ut Magnus Constantinus statim ac Christianæ religionis veritatem novit & professus est, legibus etiam Imperii fulciendam esse putavit Christianorum Ecclesiam, eorumque cultum, & Evangelii prædicationem. Idem fecerunt ceteri Romanorum Imperatores, qui virtutibus inclyti, etiam bellica laude facti sunt clariores. Sic v.g. Theodosius, Marcianus, Valentinianus, Gratianus, Basilius, aliique. Sic postea Principes regesque Francorum, Clodoveus, Carolus Martellus, Pipinus, Carolus magnus, Ludovicus pius, Sanctus Aloysius, aliique permulti. Sic inter Hispanos Ricaredus, Alphonsus, Ferdinandus; inter Britannos Ethelbertus,

tus, Eduinus, Osuardus; apud Danios Haraldus qui baptismate expiatus, ad Christi fidem regnum universum pellexit; apud Suevos Biornus; inter Bulgaros Bogoris; inter Germanos Otho I. cognomento magnus, qui maxime de Sclavorum conversione est optime meritus; inter Polonos Dux Micislas; apud Russos Walodimerius; apud Hungaros Stephanus sanctitate conspicuus; atque inter ejusmodi, aliasque nationes Reges alii, aliique pene innumeri Principes, qui cum Christo aggregaverint sese, barbaras etiam nationes Christianorum sacris felici exitu initiandas curarunt, Evangelii suavitate mansuefacere, societatem firmare, & regali solio arctius devincire.

X. Sola Ecclesia potestatem habet suos eligendi ministros, & mittendi operarios in vineam Domini, qui soli Ecclesię rationem reddere tenentur de villicatione sua. Qui ergo ejusmodi ministrorum ordinationibus resistit, Ecclesiæ resistit; qui eos non audit, Ecclesiam non audit, & factus est quasi infidelis, vel etiam infideli deterior. Attamen Ecclesia, ut Ecclesia est, suis ministris nequit conferre civiles honores, & qui dicuntur gradus Imperii, nisi consentiat societas, aut Summus Imperans, qui jura societatis tuetur & vices gerit. Ecclesia sibi sufficit, Divino auxilio suffulta, ad tradendas atque sanciendas leges pro sua tuenda religione & disciplina, & pro sacris moderandis ritibus ad Divinum cultum, quin tuta conscientia Christiani possint ejus non obedire mandatis. Attamen potest etiam vires aliquando impetrare ab imperio ad quosdam protervos edomandos, qui magis ducuntur formidine pænæ, quam virtutis amore. Similiter lex Imperii, ut jam diximus, transire potest in legem Ecclesiæ, ut aliqua ratione evadat fiatque religionis negotium, quod prima fronte ad statum civilis societatis pertinere tantummodo videbatur; atque inde nascitur in re una utri-

que

que poteſtati duplex obedientia, Civilis & Eccleſiaſtica. Patet ergo homines eo fieri obedientiores, & perfectiores, quo nexus inter Imperium & Eccleſiam validiores fiunt, & quo humaniora viciſſim ab utraque poteſtate ſibi adhibentur officia.

XI. Multa gerit Eccleſia, non quatenus Eccleſia eſt, ſed quatenus ſecum habet Imperium, ſibique favet; & e contra multa gerunt Imperantes non ratione ſui principatus, ſed jure acquiſito ab Eccleſia, & quatenus ea probantur & firmantur ab ipſa. Utriuſque poteſtatis jura ſive originalia ſive acquiſita, difficile non eſt deprehendere, ubi non ducantur homines libidine dominandi, ſed Spiritu Charitatis, pacis amore & publicæ tranquillitatis. Tria priora ſæcula luculentiſſimum nobis reliquerunt exemplum, diſtinctionis & Separationis unius poteſtatis ab altera; quando ſola Eccleſia erat in Imperio, non autem Imperium erat in Eccleſia. Tempora vero Conſtantini quando inter utramque poteſtatem mirabile factum eſt conſortium, imitanda proponunt exempla quemadmodum diſtinctionis unius poteſtatis ab altera, ita & concordiæ & mutuæ unionis inter ipſas. Hinc Clariſſimus Galliarum ſcriptor ait =„ S'il eſt un moment prëcis ou on
„ pouiſſe montrer & les bornes immuables, & l'ac-
„ cord ſalutaire des deux Puiſſances diſtinctes & reu-
„ nies; c' eſt celui de la paix naiſſante de l' Egliſe. On
„ ne peut accuſer les Evêques juſques là ſi humiliès,
„ ſi perſecutes, d'avoir étendu leur droit, ni ſoupçon-
„ ner les Empereurs alors dans toutes leur puiſſance
„ & leur éclat d'avoir méconnu les leurs. Jamais l'E-
„ gliſe ne montra plus noblement ſa vraie juriſdiction;
„ jamais les Princes ne furent plus puiſſans, plus inde-
„ pendans; jamais l'harmonie ne fut plus intime, plus
„ mutuelle. Precieux temps, digne d'être le modêle
„ des touts les ſiècles. Sans doute le Pape & les Evê-

„ ques

„ ques pouvoient (ſans aucun appui temporel) con„ damner Arius. Mais pour former une aſsémblée des „ touts les Prelats de l'Empire, pour fournir aux frais „ immenſes de cette aſſemblée, pour en faire accepter „ les reglemens, la puiſſance du Prince étoit neceſ„ ſaire. C'eſt ce que fit Conſtantin ſans ſe mêler en „ rien du ſpirituel, ſans gêner le ſuffrages, ni meme „ y'joindre le ſien, il ſe borna a donner a ce ſaint con„ cile ſa protection temporelle, & à en appuyer les „ deciſions „ (1).

XII. Ubi ergo eſt jus illud convocandi concilia, quod Imperantibus tribuit profuſe Scriptor Ticinenſis? Si in Imperio fundatur, ergo Ethnicorum imperantes æque ac Imperantes Chriſtiani jus haberent Eccleſiæ res cognoſcendi, itemque decernendi quæ opus eſſent vel non eſſent eidem. Præterea opus eſſet ut indeſinenter unum imperium extenſione ſua coæquaret Eccleſiam, ac per univerſum orbem protenderetur: vel ſaltem Eccleſia ex maxima ſui parte finibus unius Imperii coarctaretur. Si ſtatum politicum Civilis Societatis conſideres, omnes nationes ex ſe ipſis integrum corpus conſtituunt, quod a nemine pendet, niſi a ſuo Imperante. Non ita ſe res habet de unico ſtatu totius Eccleſiæ, intra quam ſubingrediuntur omnes nationes. Una eſt enim Eccleſia per totum orbem diffuſa; ac ideo caput & principem poſtulat qui jure in ſacra & Eccleſiaſtica mundum univerſum comprehendat. Unus Henricus Octavus Angliæ Rex delirando aſſeruit, Britannicum populum integrum corpus efficere quoad utrumque ſtatum, Civilem & Eccleſiaſticum; quamobrem ſuper vano iſto larvatæ doctrinę principio uſurpata ſua jura nitebantur. Itaque ſeſe dicere auſus eſt caput Anglorum Eccleſiæ.

XIII. Ve-

(1) L'abbé Gauchat, lettre 138, Vid, & epiſt. 130. & ſeq.

XIII. Verum enimvero Catholici Principes sua ducti pietate ac zelo, honoribus cumularunt Ecclesiam & religionis ministros, iisque dederunt in populos Civilem quamdam auctoritatem, per quam facilius possent religionem propagare. Justissimum enim visum est illis ejusmodi privilegia conferre ad populi salutem, & ad magis magisque reipublicę tranquillitatem firmandam. Interest equidem ut qui pro societate sunt omnino occupati, certis etiam gaudeant praerogativis, quibus etiam civiliter videantur præcellere, atque eminere. Sic ante legem scriptam, hoc est, in lege naturæ quidam viri eminuerunt, qui præ cæteris omnibus religioni simul & societati præfuerunt. Verum si Ecclesia, ut Ecclesia est, jus non habet in Civilia, quomodo Imperium jus habere potest in Sacra? Principes qui Ecclesię jura sibi vindicarunt, vel potius aggressi sunt res Ecclesiæ, ut plurimum facto contenti, de jure minime curarunt. Sed ait laudatus Galliarum scriptor. „ Ils usoient de voies de fait, sans vouloir enprouver „ en regle la legitimité, & regarder comme l'apanage „ du thrône le droit de pronoçer sur la foi. Cet exem„ ple unique, l'Angleterre nous le montre. Si jamais „ on vit une confusion horrible des deux Puissances, „ ou plutôt une usurpation inouie de la Puissance spi„ rituelle ce fut dans Henric VIII. ec. „ (1)

XIV. Verum superbam usurpationem istiusmodi postremis temporibus ad systema revocare tentarunt quidam Lutherani scriptores, quorum doctrinam maxima ex parte in præsentiarum amplexi sunt nonnulli Summorum Imperantium assentatores, qui de Catholica Religione gloriantur, etiamsi longe abeant a Catholica veritate (2). Nam præter assertiones, quas qui-

(1) Lettre 145.

(2) Vid. Lettere amichevoli al Sig. Abate Vincenzo Befozzi lettera 5.

quidem perniciosissimas vidimus, principia insuper ponunt, quibus Anglicanum Religionis monstruosum systema componitur. Quare jura omnia, si jura dici possunt, Christianorum Imperantium in res Ecclesiasticas & Sacras juxta Gallorum mentem ad hæc reducuntur: dicuntur enim „ Protecteurs de la Religion „ & des Ministres, titre tres-glorieux & tres-eten- „ du, mais qui ne leur donnoit que le droit des Con- „ stantin, des Charle Magne, celui d'appuyer de leurs „ loix le culte, les decisions de l'Eglise, les fon- „ ctions & les privilegés du ministere, celui de chas- „ ser & de punir les perturbateurs de la Religion „ (1). Alibi vero addit „ Appuyer les decisions de l'E- „ glise, en proteger les loix & les Conciles, faire „ fleurir son culte, honorer ses Ministres, maintenir „ les privileges dont il les a décorés ec. „ (2). In his, & in omnibus aliis, quibus vel cum Imperio legislatore convenit Ecclesia, vel cum Ecclesia convenit Imperium, tenentur homines utrique potestati obedire, cum nemini liceat resistere potestatibus, quæ hominibus præsunt. Attamen utraque potestas gaudet pro modulo suo vi legislativa obligandi Christianos ad obediendum, sine ope & extrinseco auxilio alterius; Civilis in rebus politicis civitatis vel imperii, Ecclesiastica vero in iis, quæ Religionem respiciunt, cultum scilicet vel interiorem vel exteriorem, quem tenemur præstare Deo. In rebus vero, quæ *mixtæ* vulgo appellantur, cum utraque potestas jus habeat pro sua portione ferendi leges, hinc ne turbæ unquam excitentur, collusiones & querelæ, necessaria est concordia inter utramque potestatem, studium pacis & mutua officia. Sed notanda est differentia; nam officia inde-

(1) Gauch. lettre 145. cit.
(2) *Idem* let. 146. Vid. Bossuet locis super cit.

indesinenter ab Ecclesia exhibentur Imperio; quamvis extrinsecus non profluant cum nova lege: propterea quod ex principio intrinseco suæ religionis, indesinenter docet obedientiam erga Imperantes. Contra vero officia, quæ Imperium præstare solet Ecclesiæ non habentur nisi sint nova lege firmata, quæ in publicum prodeat.

XV. „ Quæres igitur cum Bossueto quid intersit
„ Sacerdotalem inter & Civilem potestatem, si utra-
„ que est a Deo. Multum per omnem modum. Pri-
„ mo quia Sacerdotalis potestas in Lege & in Evange-
„ lio a Deo ipso præsente, atque conspicuo fuerit in-
„ stituta: Civile autem Imperium, quamquam suo
„ modo a Deo vel inditum, vel institutum, haud pa-
„ ri præsentia Divinæ Majestatis, tum Sacerdotalis
„ principatus forma & regimen expresse sunt a Deo
„ instituta; civile imperium generatim tantum tradi-
„ tum, hominum arbitrio forma relicta est, sive illa
„ Monarchia, sive Aristocratia, sive popularis esset.
„ At verum quidem Sacerdotium illiusque potestatis
„ legitima administratio cum vera religione conjuncta
„ est; imperia vero legitima, & apud infideles vigent.
„ Denique Ritus consecrandi Sacerdotes omnino Di-
„ vinus, atque inter sacramenta a Deo instituta nu-
„ merantur, valetque interventu proprio & expresso
„ Divini numinis, ac spiritus; at Regum consecra-
„ tio neque a Deo est universim instituta, neque huic
„ officio absolute necessaria, sive ut agunt essentialis
„ est, quas, ut in re clara leviter attigisse &c. (1).

(1) Bossuet Defens. Cler. Gallic. Par. 2. lib. 5. cap. 3.

CAPUT

CAPUT VII.

De invicta constantia & firmitate Ecclesiæ pro qualibet veritate revelata tuenda; ubi expenditur quæ sit mens Augustini de curandis & de vitandis hæreticis, & nonnulla delibantur, quæ Tribunal Inquisitionis respiciunt.

I. IN capite primo hujus Tractatus ubi de vera egimus religione universaliter considerata, ostendimus ipsam semel a Deo datam hominibus, nulla creata vi posse turbari, temporum, regnorumque vicissitudines non timere, tandem esse omnino immutabilem. Ergo quibus tota Divinitus concredita est religio, eam Divina quadam vi præditam esse credendum est, qua religionem tueri valeat contra nefarios diaboli ac filiorum ejus conatus. Ideo legimus iterum iterumque in Evangelio promissionem de fide nunquam defectura, primum a Christo factam esse Petro, qui universa Patrum traditione docente, vivit adhuc in Successoribus, quique *totius Ecclesiæ*, ut ait Augustinus, *pene ubique solus meruit gestare personam* (1). Quare *soliditas illius Fidei, quæ in Apostolorum Principe est laudata perpetua est* (2). Præterea omnibus simul Apostolis dixit, euntes ergo per universum mundum prædicate Evangelium, & omnem creaturam docete: ecce enim vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Hinc patet latissime cuique credenti, omnia quæ sunt Religionis, invariabili, constantique, æternoque ordine regenda esse atque gubernanda. Per Apostolos ergo, qui post Christum ecclesias fundarunt,

(1) Augustin. Serm. 295. alias de Diversf. 108. c. 2. 3. & 7. Vid. Sermones seq.

(2) Leo Pap. Serm. 2. in Anniv. suæ Assumpt.

runt, iisque totam doctrinam a Christo habitam cum suo sanguine tradidere, tota Divinarum Revelationum Massa, in universam transivit Ecclesiam, quæ super unam Petri Cathedram fundatam discimus (1), quæque sistit super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, & super angulari lapide Christo Jesu (2); unde columna & firmamentum veritatis divinitus est appellata (3).

II. „ Itaque Christi Ecclesia, ut ajebat S. Pacianus, „ est non habens maculam, neque rugam, hoc est hæreses non habens .... Ceterum peccator & pœnitens „ non est Ecclesiæ macula: quia quandiu peccat, & „ non pęnitet extra Ecclesiam constitutus est: ubi desinit peccare, jam sanus est .... Ecclesia est, integra „ evangeliorum jura custodiens. Integra utique, quia „ tota, quia plena „ (4). Quare episcopi qui sunt Apostolorum successores *non tantum vigilare debent*, ait etiam cum Grotio acatholico alius acatholicus vir Gronovius, *ne in suam cujusque ecclesiam impietas, aut error irrepat, sed ubicumque illa existunt, quantum in ipsis est, obviam ire, monere, laborare, providere, ut coerceatur* (5). Hinc nullam admittere novitatem sive doctrinæ, sive cultus, & omnem iniquitatem damnare, omnem hæresim pręscribere, omnemque superstitionem respuere, nihil aliud est quam jura Ecclesiæ vindicare, divinas ordinationes tueri, veritatem servare, & depositum custodire. Ex hoc fit

 Eccle-

---

(1) Tertull. de Præscr. cap. 36. Cyprian. de Unit. Ecclef. & alibi pass.

(2) Ad Ephes. c. 2. v. 20.

(3) Isaiæ cap. 29. v. 21., Matth. c. 16. v. 18. c. 28. v. 20., Luc. c. 22. v. 32., Joan. c. 14. v. 16. c. 16. v. 13. c. 17. v. 11. 20., Epis. 1. ad Tim. c. 3. v. 15. epist. 1. Joan. c. 1. v. 27.

(4) Pacian. ad Sympron. epist. 3. infr. init.

(5) Gronov. in adnot. ad Grot. lib. 2. de pœnis c. 20. §. 44. n. 1.

Ecclesiam neque mala probare posse, neque super mala tacere. Nam vix emergit novitas, statim contra ipsam clamorem emittit, qui fidei clamor vulgo nuncupatur, ut fideles suos cautos faciat ne decipiantur novitate doctrinæ. Quare alibi demonstratum est contra Tamburinum, actionem Cathedrę ac Tribunalis Ecclesiæ, intermissionem vel levissimam nunquam pati, ac præterea notissimum & præ oculis omnium esse *Locum Depositi, seu Terminum* illum, quem christiani omnes pro securitate suæ fidei continuo conspicere debent, in iis præcipue temporibus, in quibus maxime furit spiritus procellarum, quibus interdum agitatur Ecclesia Christi. Hinc probatum fuit etiam, præsertim auctoritate Patrum, doctrinam in Ecclesiæ sinu diutius hinc inde disputatam inoffensa fide, nunquam aut definiendam uti dogma, aut condemnandam esse uti hæreticam; sed inter opiniones perpetuo considerandam, quas ad Depositum pertinere non liquet, nec unquam, Deo sic volente, liquebit. Etenim *Ecclesia Christi*, ut Augustinus docet, *non litigiosis opinionibus fingitur, sed Divinis attestationibus comprobatur* (1). *Catholicam enim facit*, docet S. Optatus Milevitanus, *simplex & verus intellectus, & unitas animorum. Schisma vero sparso coagulo pacis dissipatis sensibus generatur, livore nutritur, æmulatione & litibus roboratur, ut deserta matre Catholica, impii filii dum foras exeunt, & se separant a radice matris Ecclesiæ, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abscedunt. Nec possunt novum aliquid, aut aliud agere, nisi quod jamdudum apud suam didicerint matrem. Hæretici vero, veritatis exules, sani & verissimi Symboli desertores, de sinu Ecclesiæ sanctæ impiis sensibus depravati, contempto quod bene fuerant geni-*

(1) August. ad Bonifac. ep. 50. edit. antiq.

geniti, ut ignorantes & rudes deciperent de se nasci voluerunt (1). Ergo fidei controversia in sinu Ecclesiæ non diuturna, ut supponitur a Scriptore Ticinensi, sed nonnisi brevissima potest esse, antequam Ecclesia ipsa aliquo modo provideat Fidei securitati, ac saluti filiorum suorum (2). Quæ cum ita sint, falso laborat supposito illa erroris Tolerantia, cujus definitionem scriptor ille præmittit, atque contortis cavillationibus ab incohærentia & errore nititur vindicare. Sed de hoc alibi opportunius.

III. Interea animadvertendum est cum clarissimo Bossueto, Ecclesiam non posse palam non profiteri hodie, quod heri tuebatur; itemque credere hodiernam fidem eamdem esse ac fides omnium sæculorum, quæ quum in sua tantum communione indesinenter ac perspicue sit regnatura, necessario exigit ut novitates omnes cum molitoribus suis perpetuo ab Ecclesia ipsa rejiciantur atque damnentur (3). Quamobrem ipsa Ecclesiæ Catholicæ immutabilis intolerantia, quæ Theologica solet appellari, quamque acerbe insectatur Baelius præsertim in suo Commentario philosophico, aliique minorum gentium philosophi, & carnales homines, firmissimum præbet argumentum inviolabilis, constantissimæque suæ fidelitatis erga Deum, pro doctrinæ sibi concreditæ integritate servanda, absque ulla mixtura humanæ dementiæ. Quemadmodum enim periret atque dissiparetur Ecclesia, si inter veritates sibi divinitus revelatas unam posset ipsa amittere vel deserere, ita destrueretur si ad gradum revelationis extollere posset quæ Revelatio revera non esset. Intolerantia igitur ejusmodi æque ac sanctitas, atque jus docendi omnem

(1) Optat. Milev. contr. Parmen. lib. 1.

(2) Vide Opus Italice inscriptum *Risposta d' un Teologo ad un' Amico ec. lettera 3.* in procemio pag. 104. & seq.

(3) Bossuet. Avvert. 6. aux Protest. §. 18. 19.

omnem veritatem, profluunt ex natura ipsius Ecclesię; cui consonat ea doctrinę unitas, quę sit unius Cathedræ una omnium sæculorum doctrina, atque unius Dei unus & indivisibilis Christus. Ergo sicut Ecclesia tum quoad Fidem, tum quoad mores, non potest non tueri omnem veritatem, ita neque potest non rejicere & damnare quamlibet doctrinam, quæ revelatæ minime consentiat, aut catholicæ religioni adversetur. Quare certitudo doctrinæ, onusque custodiendi Depositi, injuncti scilicet Divini ministerii adimplendi, sine quo stare non potest Ecclesia, faciunt ut Christi sponsa nulla creata vi concuti possit aut labefactari, neque aliena doctrina pollui.

IV. Optime ergo Gallicanus auctor scripsit „ Ni les „ Puissances les plus redoutables, ni les dangers les „ plus dommageables n' ont jamais pu l'amener à au- „ cune composition, ni menagement, ni tolerance, „ lorsque quelque chose blessoit la veritè. Les Ari- „ ens, sutenus de toute la puissance de Constantius, „ refusent d'admettre le mot de consubstantiel, qui est „ essentiel à la Religion; l' Eglise Catholique sacrifie „ tout l'Orient (exaggeratio patet), plutot que de „ dissimuler la nécessité de cette expression. Les Grecs, „ quelques siècles apres, ne veulent point reconnoi- „ tre la procession du Saint-Esprit; elle n' hésite pas „ à sacrifier tout un Empire. Luther & Calvin atta- „ quent plusieurs dogmes reçus depuis quinze siécles; „ elle aime mieux sacrifier une partie de l' Europe, „ que de souffrir la plus legere alteration „ (1). Quotiescunque enim agitur de rebus ad dogma pertinentibus, vel ad morum doctrinam, de modo & ratione docendi, deque suæ fidei professione, eamdem firmitatem continuo exhibet Ecclesia, quam perhibuit Apostolorum

(1) Nouveau Dictionnaire Anti-Philosophique Tom. 4. pag. 245. par l' auteur des erreurs de Voltaire.

rum Princeps quando fidenter asseruit coram judicibus, se debere potius obedire Deo, quam hominibus (1). Hinc laudatus Galliarum scriptor concludit ,, De toutes ces notions que nous venons de donner, ,, on doit conclure que cette intolérance, qui fait le ,, sujet de tant de declamations de la part des Philoso- ,, phes, est le caractére le plus brillant de la sainteté ,, de l'Eglise; la plus forte preuve de sa Divinité, le ,, plus digne objet de notre respect, de notre vénéra- ,, tion, de notre amour pour elle; & que c'est par-là ,, principalement qu'elle peut être le mieux reconnue ,, pour la vraie Epouse de Jesus Christ (2).

V. Sive agatur ergo inter homines de veritate confitenda vel rejicienda, sive de adoptandis erroribus, vel damnandis, sive denique de componenda veritate Catholica cum hæreticorum novitatibus, experientia omnium sæculorum docuit, Ecclesiam insuperabili fortitudine prioribus inhærere vestigiis, nihil ferme innovandum præter id quod traditum est. Itaque nonnulli Imperatores Christiani contra rerum ordinem, ut ut egerunt de componenda veritate Catholica cum hæreticorum novitatibus, quin pacem afferrent, majora mala, vehementioresque turbas excitarunt. Quamobrem doctissimi Parisienses Oratoriani Patres, qui opus postumum Patris Thomasini alibi laudatum ediderunt, in sua præfatione ad volumen secundum non temere scripserunt. ,, Les Empereurs anciens & modernes, ,, Zenon, Justinien, Heraclius, Constant, Charles- ,, quint & Ferdinand son frere, ont commis des fautes ,, ènormes dans les Edits de Pacification qu'ils on pu- ,, bliez, quoi-que sous de specieux pretextes, & peut ,, être avec de bonnes intentions. Mais ils n'eurent ,, aucun succès, non plus que les Ecrivains qu'ils em- ,, plo-

(1) Act. c. 4.

(2) Ubi supr. aliquanto infer.

„ ploïérent, & ceux qui s'y sont ingere d' eux-mêmes
„ de tems en tems „. (1)

VI. Non ergo Ecclesia sub specie pacis, quæ pax revera non est, permittere potest vel tolerare filios suos, sparso hæreticorum veneno, lethali sopore quiescere in sinu mortis, sed e contrario Verbum Dei prædicat, instat opportune, importune, filios arguit, obsecrat, increpat in omni patientia & doctrina, donec errantes & peccatores dignum faciant pœnitentiæ fructum. Ecclesia igitur neminem persequitur præter errorem, neque hæresis, quatenus hęresis est, ab illa puniri solet, nisi quibusdam pœnis spiritualibus, anathemate scilicet, infamia, privatione sacramentorum, bonorumque spiritualium, quæ dispensat fidelibus suis. Insuper tam peccatores qui non infidelitate, sed humana tantum fragilitate moribus peccant, quam errantes pertinaci errore doctrinę, vel quoquomodo Ecclesiam deserentes, si aliquando contingat, ut redire cupiant ad pœnitentiam, & ad Catholicam Unitatem, profecto coguntur expiare peccata sua, etiam quibusdam pœnis, quæ præter spiritum, etiam corpus moderate affligunt, quęque canone pœnitentiali sanciuntur.

VII. Attamen Scriptor Ticinensis cum ita mollicululus sit, ut non probet nisi suasibilia, quæ mulceant animum, seu potius palpent, omnia vero reprobet, quæ vim ita sapiant, ut vel levissimum corporis cruciatum præseferant, asserit pag. 2. ex hoc Tolerantiam oriri, *quod cum humana vis omnia mala non possit avertere, quædam cogitur tolerare*. Sed religio quum sit Divinitus data ad omnia mala curanda, & non humana, sed Divina sua virtute possit revera omnibus mede-

(1) Traité des Edits e des autres moiens dont on s' est servi pour maintenir l' Unité de l'Eglise Catholique.

mederi; hinc eſt, quod Religio Divina, ut infra videbimus, nulla mala tolerat, vel tolerare poteſt, & totis viribus nititur avertere atque fugare. Libera quidem eſt Religio, & S. Athanaſio teſte (1), quæ ſuaſibilia ſunt poſtulat, ſed, ut ſapientiſſime docent laudati Oratoriani Patres, non unus eſt perſuadendi modus. En ipſorum verba „ On doit donc uſer de „ perſuaſion, & non pas de contrainte; & de com„ mandement. Mais nôtre Auteur (Thomaſinus) nous „ fera obſerver dans les ſaints Peres, & dans nôtre „ propre experience, qu'il y a differentes manieres „ de perſuader. On perſuade par des inſtructions, par „ des raiſons, par des promeſſes, par des minaces, & „ des peines douces. Il n'y a point de famille, ou „ les Peres les plus humains, & les Meres les plus „ tendres n'emploïent tous ces moïens pour gouver„ ner leurs enfans. Ce n'eſt pointlà une contrainte; „ ce n'eſt pointe faire violence à leur liberté; mais „ la redreſſer & la regir d'autant plus amoureuſement, „ qu'on le fait avec plus de vigueur & d'empreſſe„ ment „ (2).

VIII. Similia docuit quarto Eccleſiæ ſæculo S. Pacianus, ex quo Pariſienſes illi Scriptores ſuam (ut videtur) deprompſere doctrinam. Ait enim ille „ Ma„ gna in filios cura matris iſtius (*Eccleſiæ*) & mollis „ affectus: honorantur boni, caſtigantur ſuperbi, cu„ rantur ægroti, nullus perit, nemo deſpicitur, ſe„ curi fœtus ſub indulgentia matris retinentur „ (3). Atqui Eccleſia errorem perſequens aliquando confugit ad principes, ut eorum poteſtate & vi debiles filios confortet, fortioribus faveat, rebelles refrenet. Hic

 fuit

(1) Athanaſ. Hiſt. Arian. n. 67. tom. 1. pag. 384.
(2) Præfat. ad Vol. 1. p. IX. & X.
(3) Pacian. ad Sympron. epiſt. 3. infra init.

fuit omnium sæculorum agendi modus Ecclesiæ, qui nequaquam mutandus est, ut querelis adhæreat quorumdam scriptorum, qui teste Bossueto (1), & experientia docente, libertatem expostulant, ut suos errores, suasque novitates impune divulgent, ac in populum proferant. Ita se gesserunt Orientales Episcopi contra Paulum Samosatenum, Ecclesia Romana plaudente cum Italia universa; ita se gessit Ecclesia contra Arium, aliosque hæresum conditores. Sed omnium celeberrimum est Africanorum Episcoporum factum, cujus pars maxima fuit Sanctus Augustinus, a quo historiam ejusque rationem, quam reddit his verbis, certissime discimus. „ Discamus frater in si-„ militudine operum discernere animos operantium, „ ne clausis oculis calumniemur, & benevolos pro „ nocentibus accusemus. Item cum ait Apostolus, „ tradidisse se quosdam Sathanæ ut discerent non bla-„ sphemare; malum pro malo reddidit: an potius „ malos etiam per malum emendare, bonum opus „ esse judicavit? Si semper esset laudabile persecu-„ tionem pati, sufficeret Domino dicere: Beati qui „ persecutionem patiuntur, nec adderet propter ju-„ stitiam. *Item si semper esset culpabile persecutionem* „ *facere*, non scriptum esset in sanctis libris: Detra-„ hentem proximo suo occulte, hunc persequebar. „ Aliquando ergo & qui eam patitur injustus est, *&* „ *qui eam fecit, justus est*. Sed plene semper & ma-„ li persequuti sunt bonos, & boni persequuti sunt „ malos. Illi nocendo per justitiam, illi consulendo „ per disciplinam. Illi immaniter, illi temperanter. „ Illi servientes cupiditati, illi charitati. Nam qui „ trucidat, non considerat quemadmodum laniet: „ qui autem curat, considerat quemadmodum secet. „ Ille

(1) Boss. ubi supra.

„ Ille persequitur sanitatem, ille putredinem. Occi-
„ derunt impii Prophetas, occiderunt impios & pro-
„ phetæ. Flagellaverunt Judæi Christum, Judæos
„ flagellavit & Christus. Traditi Apostoli ab homini-
„ bus potestati humanæ, tradiderunt & Apostoli ho-
„ mines potestati Satanæ. In his omnibus quid atten-
„ ditur, nisi quis eorum pro veritate, quis pro ini-
„ quitate, quis nocendi caussa, quis emendandi? (1)

IX. Assentior Augustinum nunquam docuisse Christi Ecclesiam, persecutione quæ dicitur gladii, vi suę institutionis auctoritatem habere hæreticos persequendi; sed docuisse quidem Summos Imperantes Christianos, qui fidissimi sunt Ecclesiæ filii, auctoritate pollere, ut vi saltem executiva, distributis pœnis levioribus gravioribusque, animadvertere possint in hæreticos omnes, maxime vero in turbulentos. Non quod humana vis adhibenda sit præcipue ad sanguinem hæreticorum fundendum, aut ad religionem imperandam, sed potius ad frænandam audaciam quorumdam ipsorum, qui falsam religionem malis artibus spargere nituntur, & pacem turbare tum Imperii tum Evangelii: rursusque ad debitum honorem servandum veræ religioni, ut quodam medicinali terrore cauti fiant simpliciores homines ad pravitatem fugiendam. Quare S. Doctor cum explicaret Pauli Apostoli verba 1. ad Corinth. c. 4. v. 21. *Quid vultis? An in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis?* ait „ Jam hic apparet eum loqui de vindicta, ad cu-
„ jus significationem virgam nominavit. Nunquid ta-
„ men & virga sine charitate est, quia ita contexuit,
„ in virga veniam ad vos, an in charitate? Sed quod
„ sequitur, *Spiritu mansuetudinis*, admonet intelli-
„ gi, *quia & virga charitatem habet. Sed aliud est*
„ *cha-*

(1) August. ad Vinc. Rogat. epist. 48. alias 84. nunc 93.

„ *charitas severitatis*, *aliud charitas mansuetudinis*. „ Una quidem charitas est, sed diversa in diversis operatur „ (1).

X. Hinc objicientibus Donatistis *non debere Christianos contra inimicos Christi aliquid a Christianis Imperatoribus postulare*, primum S. Augustinus respondet *ipsos priores fecisse*, *ac in eosdem conversas fuisse leges*, *quibus innocentem Cæcilianum opprimere voluerunt*: inde autem subdit quod „ *propter misericordiam* „ *Christi magis pro eis sunt istæ leges*, *quæ illis viden-* „ *tur adversæ*. Etenim quam multi per illas correcti „ sunt, & quotidie corriguntur, & se esse correctos, „ atque ab illa furiosa pernicie liberatos gratias agunt? „ Quia & Imperatores quando pro falsitate contra „ veritatem constituunt malas leges, probantur bene „ credentes, & coronantur perseverantes. Quando au- „ tem pro veritate contra falsitatem constituunt bo- „ nas leges, terrent sævientes, & corrigunt intelli- „ gentes. Quicumque ergo legibus Imperatorum, „ quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare „ *non vult*, *acquirit grande præmium*. Quicumque „ autem legibus Imperatorum, quæ pro Dei verita- „ te feruntur, obtemperare non vult, acquirit gran- „ de supplicium. Nam & temporibus Prophetarum, „ omnes reges, qui in populo Dei non prohibuerunt, „ nec everterunt quæ contra Dei præcepta fuerant „ instituta, *culpantur*; & qui prohibuerunt, & ever- „ terunt, super aliorum merita laudantur ... Si au- „ tem putant (Donatistæ) quod *nemo possit juste ali-* „ *quem* persequi, sicut in Collatione dixerunt, il- „ lam esse veram Ecclesiam quæ persecutionem pati- „ tur, non quæ facit .... Quærant ab Apostolo quam „ Ecclesiam significabat Sara, quando persequutio- „ nem

(1). August. contr. Parmen. lib. 3. c. 1.

„ nem faciebat ancillæ, *Liberam* quippe matrem no-
„ ſtram cœleſtem Hieruſalem, veram Dei Eccleſiam,
„ in illa muliere dicit fuiſſe figuratam, quæ affligebat
„ ancillam. Si autem melius diſcutiamus, magis
„ illa perſequebatur Saram ſuperbiendo, quam illam
„ Sara coercendo. Illa Dominæ faciebat injuriam,
„ iſta imponebat ſuperbiæ diſciplinam. Deinde quæro,
„ ſi boni & ſancti nemini faciunt perſecutionem,
„ ſed tantummodo patiuntur, cujus putant eſſe in
„ pſalmo vocem, ubi legitur: Perſequar inimicos
„ meos, & comprehendam illos, & non convertar
„ donec deficiant?

XI. „ Si ergo verum dicere (pergit S. Doctor) vel
„ agnoſcere volumus, eſt perſequutio injuſta quam
„ faciunt impii Eccleſiæ Chriſti, & *eſt juſta perſequutio,
„ quam faciunt impiis Eccleſiæ Chriſti*. Iſta itaque
„ beata eſt, quando perſequutionem patiuntur propter
„ juſtitiam. Illi vero miſeri qui perſequutionem
„ patiuntur propter injuſtitiam. Proinde iſta *perſequitur
„ diligendo*, illi ſæviendo. Iſta ut corrigat,
„ illi ut evertant. Iſta ut revocet ab errore, illi
„ ut præcipitent in errorem. Denique iſta perſequitur
„ inimicos, & comprehendit donec deficiant in
„ vanitate, ut in veritate proficiant...... In hoc ergo
„ ſerviunt Domino Reges in quantum ſunt Reges,
„ cum ea faciunt ad ſerviendum illi, quæ non poſſunt
„ facere niſi Reges. Cum itaque nondum reges
„ Domino ſervirent temporibus Apoſtolorum, ſed
„ adhuc meditarentur inania adverſus eum, & adverſus
„ Chriſtum ejus, ut prophetarum prædicta
„ omnia complerentur, non utique tunc poſſent impietates
„ legibus prohiberi, ſed potius exerceri.....
„ *Melius eſt quidem, quis dubitaverit, ad Deum colendum
„ doctrina homines duci, quam pœnæ timore
„ vel dolore compelli.* Sed non quia iſti meliores ſunt,
„ ideo

„ ideo illi qui tales non ſunt, negligendi ſunt... Nam ſi„ cut *meliores ſunt quos dirigit amor*, *ita plures ſunt* „ *quos corrigit timor* „. Poſt hæc reſpondet S. Doctor cavillationibus eorum, qui ſua ætate æque ac in noſtra contra ſentiebant, & evidenter demonſtrat auctoritate ſacræ ſcripturæ, moderatam quamdam ſeveritatem contra hæreticos, utique adhibendam eſſe a Principibus Catholicis, ut medicina quædam paretur ad eorum ſpiritualem ſanitatem recuperandam. Argumentorum vis & genus, quibus utitur ex Scripturis præcipue deſumptis, nullum dubitandi locum relinquunt, non circumſtantias Auguſtino ſententiam peperiſſe, ſed rem.

XII. „ Vides itaque (ait ipſe) jam non eſſe conſi„ derandum, ut opinor, quod *quiſque cogitur*, *ſed* „ *quale ſit illud quo cogitur*, utrum bonum an malum: „ non quo quiſque bonus poſſit eſſe invitus, ſed ti„ mendo quod non vult pati, vel relinquit impedien„ tem animoſitatem, vel ignoratam compellitur co„ gnoſcere veritatem, *ut timens vel reſpuat falſum de* „ *quo contendebat*, *vel quærat verum quod neſciebat*, „ *& volens teneat jam quod nolebat*. Superfluo hoc „ fortaſſe diceretur quibuslibet verbis, ſi non tam „ *multis oſtenderetur exemplis*. Non illos aut illos ho„ mines, ſed multas civitates *videmus fuiſſe*. *Donati*„ *ſtas*, *nunc eſſe Catholicas*, deteſtari vehementer dia„ bolicam ſeparationem, diligere ardenter unitatem. „ Quæ tamen timoris hujus, qui tibi diſplicet, oc„ caſionibus Catholicæ *facta ſunt per leges Imperato*„ *rum*... His ergo *exemplis a Collegis meis mihi pro*„ *poſitis ceſſi*. Nam mea primitus *ſententia erat nemi*„ *nem ad Unitatem Chriſti eſſe cogendum*, *verbo eſſe* „ *agendum*, *diſputatione pugnandum*, *ratione vin*„ *cendum*, ne fictos Catholicos haberemus, quos aper„ tos hæreticos noveramus. Sed *hæc opinio mea* non

„ con-

„ contradicentium verbis, sed *demonstrantium supe-*
„ *ratur exemplis*. Nam primo mihi opponebatur ci-
„ vitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati *ad*
„ *unitatem Catholicam timore legum Imperialium con-*
„ *versa est*, quam nunc videmus ita hujus vestræ ani-
„ mositatis perniciem detestari, ut in ea nunquam
„ fuisse credatur. Ita aliæ multæ, quæ mihi nomina-
„ tim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem
„ etiam in hac caussa recte intelligi posse, quod scri-
„ ptum est. *Da Sapienti occasionem, & sapientior e-*
„ *rit*. Quam multi quod certo scimus, jam volebant
„ esse Catholici, manifestissima veritate commoti,
„ & offensionem suorum reverendo, quotidie diffe-
„ rebant... Quam multi nihil interesse credentes in
„ qua quisque parte Christianus sit, ideo permane-
„ bant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos
„ inde discedere, atque *ad Catholicam nemo transire*
„ *cogebat*? His omnibus harum *legum terror*, *qui-*
„ *bus promulgandis Reges serviunt Domino in timore*,
„ ita profuit, ut nunc alii dicant, jam hoc voleba-
„ mus: sed Deo gratias, qui nobis occasionem præ-
„ buit jamque faciendi, & dilationum morulas am-
„ putavit... Alii dicant, nesciebamus hic esse veri-
„ tatem, nec eam discere volebamus, sed nos *ad*
„ *eam cognoscendam* metus fecit attentos, quo timui-
„ mus ne forte sine ullis rerum æternarum lucris,
„ *damno rerum temporalium feriremur*. Gratias Do-
„ mino, qui negligentiam nostram *stimulo terroris* ex-
„ cussit, ut saltem solliciti quæreremus, quod secu-
„ ri nunquam nosse curavimus... Gratias Domino,
„ qui trepidationem nostram flagello abstulit ec. (1).

XIII. Similia habet S. Doctor in epistola ad Bonifacium superius laudata; quæ omnia ut longum esset

(1) August. ad Vincent. Rogatist. epist. super citat.

esset depromere, sic omnino præterire imperfectum. Pauca ergo seligamus, quæ arbitramur proposito satisfacere „ Verumtamen (ait) antequam„
„ istæ leges, quibus ad convivium sanctum coguntur
„ intrare, in Africam mitterentur: nonnullis fratri-
„ bus videbatur, in quibus & ego eram, quamvis
„ Donatistarum rabies usquequaque sæviret, non es-
„ se petendum ab Imperatoribus, ut ipsam hæresim
„ juberent omnino non esse, pœnam constituendo
„ eis, qui in illa esse voluissent: sed hoc potius con-
„ stituerent, ut eorum furiosas violentias non pate-
„ rentur, qui veritatem Catholicam vel prædicarent
„ loquendo, vel legerent constituendo. Quod eo
„ modo fieri aliquatenus posse arbitrabamur, si le-
„ gem piissimæ memoriæ Theodosii, quam generali-
„ ter in omnes hæreticos promulgavit, ut quisquis
„ eorum episcopus vel clericus ubilibet esset inven-
„ tus, decem libris auri mulctaretur, expressius in
„ Donatistas qui se negabant hæreticos, ita confirma-
„ rent, *ut non omnes ea mulcta ferirentur*, sed in
„ quorum regioribus aliquas violentias a clericis vel
„ a Circuncellionibus vel populis eorum Ecclesia Ca-
„ tholica pateretur: vel post protestationem Catho-
„ licorum, qui fuissent ista perpessi, jam cura ordi-
„ num ad persolvendam mulctam episcopi sive ministri
„ cæteri tenerentur. Ita existimabamus eis territis, &
„ nihil tale facere audentibus, posse libere doceri,
„ & teneri catholicam veritatem ut ad eam cogeretur
„ nemo, sed eam qui vellet sine formidine sequeretur,
„ ne falsos, & simulatores Catholicos haberemus.
„ Et quamvis aliis fratribus aliud videretur, jam æ-
„ tate gravioribus, vel multarum civitatum & loco-
„ rum exempla curantibus, ubi firmam & veram ca-
„ tholicam videbamus, quæ tamen ibi talibus bene-
„ ficiis Dei constituta esset atque firmata, dum per
„ prio-

„ priorum imperatorum leges ad communionem ho„ mines catholicam venire cogerentur, obtinuimus „ tamen, ut illud potius quod dixi imperatoribus pe„ teretur, decretum eſt in concilio noſtro, legati ad „ Comitatum miſſi ſunt. Sed Dei major miſericor„ dia, qui ſciret, harum legum terror & quædam „ medicinalis moleſtia quoniam multorum eſſet pra„ vis vel frigidis animis neceſſaria, & illi duritiæ „ quam verbis emendari non poteſt, ſed tamen ali„ quantula ſeveritate diſciplinæ poteſt, id egit ut le„ gati noſtri quod ſuſceperant obtinere non poſſent. „ Jam nos prævenerant ex aliis locis quædam epiſco„ porum querelæ graviſſimæ ec.

XIV. Inferius autem S. Doctor cum fuſius eorum narraſſet hiſtoriam, qui timore legum ejuſmodi, ad Catholicam Eccleſiam tranſierunt, concludit „ Ita „ cum magna agmina populorum vera in ſinum „ gaudens reciperet, remanſerunt turbæ duræ, & „ in illa peſte infelici animoſitate reſiſtentes ex his „ quoque plurimi ſimulando communicaverunt, alii „ paucitate latuerunt. Sed illi qui ſimulabant paula„ tim aſſueſcendo, & prædicationem veritatis audien„ do ..... ex magna parte correcti ſunt „. Hęc & alia quidem permulta protulit ſanctus Auguſtinus, ex quibus luce meridiana clarius elucet ipſius, & Africanorum Epiſcoporum ſententia de moderate perſequendis, ſeu potius de corrigendis hæreticis, vel pacifici ſint, vel turbulenti, & de legibus ferendis contra ipſos, ut iſtarum timore vel *reſpuant falſum*, *de quo contendebant*, *vel quærant verum*, *quod neſciebant*. Rurſuſque metu legum Imperialium attenti fiant ad veritatem cognoſcendam, ne forte, ſine ullis rerum ęternarum lucris, damno feriantur rerum temporalium; ac demum ad partem catholicam tranſire legum timore compulſi, non amplius ſimulate, ſed revera

ad

ad unitatem Ecclesiæ conversi, gratias agant Deo, qui trepidationem flagello abstulit, occasionemque prebuit dilationum morulas amputandi.

XV. Quid ergo Scriptor Ticinensis clamitat contra rei veritatem, Augustinum *constanter asseruisse neminem esse ad unitatem Christi cogendum, sed verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum ne fictos Catholicos habeamus, quos apertos hæreticos novimus*? (1) Quid hic crepitat ore Augustini, quum Sanctus Doctor fateatur ingenue istam tulisse olim opinionem, eamque non contradicentium verbis, sed demonstrantium exemplis fuisse superatam? Quid Augustino adscribit quod Augustinus ipse rejecit? Propterea quod non eo vera putavit, ut simul essent immutabilia, neque alia daretur via ad eumdem finem. Hinc ut abdicaret quod prius sentiebat, moverunt exempla non verba. Insuper quid Augustino tam fidenter adjudicat, cum Augustinus fateatur, contrarium sensisse cæteros Africanos Episcopos collegas suos, quibus consulto sapienterque cessit, ut legibus Imperialibus ferirentur non soli hæretici inquieti & turbulenti, sed etiam illi, qui nescirent in Ecclesia Catholica veritatem esse, quique securi nunquam nosse curarunt, atque *bonæ fidei hæretici* appellantur a Ticinensi? Ac si *Fides bona* cum hæresi stare posset! Equidem assentior Augustinum & reliquos Africanos Episcopos, nunquam docuisse hæreticos ita esse compellendos, ut consilio pio magis quam salubri Fides omnino precipiatur; sed legum timore concutiendos esse, ut alicujus rei temporalis jactura, rei Divinæ, Fideique cautiores fiant. Hinc docet ut *Reges terræ serviant Christo, leges edendo pro Christo* (2).

(1) Cap. 12. §. 1. pag. 245. (2) August. ad Vinc. Rogat. ubi sup. Vid. etiam epist. 60. ad Cæcilianum Præsidem, & ep. 61. ad Dulcitium Tribunum, quæ scriptæ sunt, ut ipsi Donatistas coerceant, & corrigant.

XVI. Quare Baelius, quem Ticinensis confutare fingit, veluti Augustino contradiceret, profecto mentem Augustini assequutus est melius quam sequutus. Contra vero Ticinensis frustra sequi conatus, Augustini doctrinam non est assequutus, sed persequutus. Et re quidem vera Scepticus ille scriptor, qui prȩter ea quæ sparsim huc illuc eructavit contra Augustinum, integrum volumen consarcinavit, ut ipsius refutaret sententiam(1), advertit, S. Doctorem æque ac Ferrandum leges Imperiales summopere laudasse, non uti editas ab Honorio Augusto propter circumstantias, quarum nullam facit mentionem, sed ut hæretici pœnarum terrore compulsi redirent ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem, & schisma extingueretur. Rem clariorem fecit eventus, non tantum Augustini temporibus, sed etiam in subsequentibus. Etenim quot hominum millia fuere inter Saxones, qui legum timore correpti conversi sunt ad Christi fidem? Et in Hispania nonne quinquaginta millia Maurorum baptizati sunt an. 1499.? Quorum princeps Zeigrius, cum duo sibi proposita fuerint, aut baptizari, aut in servitutem redigi, petiit ut eum docerent religionem Christianam, ac inde baptizatus, factus est ferventissimus Religionis Chistianæ defensor (2).

XVII. Verum si quis ulterius discere cupiat an revera sit mens Augustini, quam latissime patere arbitramur ex ejusdem scriptis, maxime vero ex duabus epistolis ad Vincentium Rogatistam & ad Bonifacium, potest consulere libros subter adnotatos (3), aliosque

fere

(1) Traite de la Tolerance Universelle seu Commentaire Philosophique &c. Volum. 2.

(2) Vid. Fleury lib. 119. n. 63. ad 66.

(3) Conformitè de la Conduite de l'Eglise de France avec celle d'Afrique, pour ramener les Donatistes. Qui liber editus

est

fere innumeros, præſertim Gallorum, qui communi ſententia docent mentem utique Auguſtini eam eſſe, quæ poſt ipſos a nobis invictiſſimis ita firmatur argumentis, ut miſerabiles non timeat Ticinenſis contrarias cavillationes. Quare iis præſtitis mediis contra hæreticos, de quibus hactenus diſſeruimus, nulla violentia infertur errantium libertati, ſed efficacior medicina exhibetur ipſorum ſaluti reparandæ ſi velint. Nulla vis infertur hæreticorum Fidei, ſed compeſcitur ſæpe eorum perfidia tam contra dogmata & pacem Eccleſiæ, quam contra quietem & tranquillitatem Imperii. Quare nonnulli hæretici, non uti hæretici tantum, ſed uti publici legum violatores, uti perturbatores publicæ quietis etiam ad mortem damnati aliquando fuerunt, non ab Eccleſia, quæ ſalutem, non ſanguinem petit hæreticorum, ſed ab Imperio. Poteſtas enim Eccleſiaſtica nullam partem ſumit in eorum ſupplicio; ſed violationem ſolummodo recognoſcit dogmatum Eccleſiæ, legumque illarum præterea, quæ in leges Imperii cooptatæ fuerunt. Quæ cum ita ſint, falſiſſima deprehenditur concluſiuncula illa, quam Ticinenſis pag. 281. his verbis exponit. „ Quis ergo „ non videt cum ab Eccleſiaſtica diſciplina, tum maxime ab ejus ſpiritu, Eccleſiæque ac Religionis in„ dole plurimum abhorrere Inquiſitionis Tribunal eo „ fine inſtitutum, ut vis inferatur hæreticis quibuſ„ cumque „.

XVIII. Ex hoc perſpicuum ſatis ſuperque fit, ſcriptorem illum veram ideam ejuſmodi tribunalis nequaquam habere, nec unquam ſuæ inſtitutionis indolem ac

eſt ab Archiepiſcopo Pariſienſi, una cum duabus Auguſtini epiſtolis ad Vinc, & ad Bonifac.

Vid, Opus Poſthumum Patris Thomaſini ſuperius laudatum Par.1. cap.34. ad 38, Gauchat. loc. ſuper. cit. Paulum Sarpium Venetorum Theologum Hiſtor. Inquiſition.

ac spiritum aut cognovisse, aut voluisse cognoscere. Audiat ergo doctissimos Parisienses scriptores, qui clarissimi Patris Thomasini sæpe laudatum opus ediderunt. „ Entre ces moïens, peut-être que le nom d'In-
„ quisition ne paroîtra pas tel à ceux, qui n'en ont
„ d'idée, que par les exces de rigueur, où on l'a
„ portee dans quelques Païs étrangers. Mais l'Auteur
„ (Thomasinus) en donne ici une autre idée, en fai-
„ sant voir que l'Inquisition, comme on l'a commen-
„ ça en France même, n'étoit qu'un renouvellement
„ de l'ancienne Penîtence canonique, qui venoit de
„ s'éteindre, & qui ne pût être retablie pour être sa-
„ lutaire sans quelque petite amertume (1). Appel-
„ lons les choses par leur nom, (ait auctor supple-
„ menti ad Opus Patris Thomasini) un si grand mal
„ demandoit de grands remedes, par les quels on peut
„ encore juger de sa grandeur. Cela fit penser série-
„ usement le Cardinal de Lòrraine tout zelé qu'il fût
„ pour nos libertez, à établir l'Inquisition en Fran-
„ ce, telle que le Pape Paul IV. & Philippe II. la
„ venoient de fortifier dans Rome même, dans le Ro-
„ ïaume de Naples & en Espagne, où il faut avoüer
„ qu'elle alloit beaucoup plus loin, que celle dont il
„ a été parlé dans le corps de ce Traité „. (2) Insuper audiat alium testem Fratrem Paulum Sarpium, cujus historiæ nemo profecto eorum, qui Romanis adversantur, quique Ducem habere fatentur, fidem præstare negabit. Ait igitur ille. „ Li Santi Apostoli la-
„ sciarono per rimedio di questa pestilenza, che l'e-
„ retico fosse ammonito una e due volte, e persever-
„ rando nell'ostinazione sua, li Cattolici si separasse-
„ ro dal suo conforzio, e lo scomunicassero. Nè si

G 2 „ passò

(1) In Præfat. supr. citat.

(2) Supplement au Traité &c. des Edits &c. Réponse aux Pret. Ref. de France sous Francois II. num. 33.

„ passò più oltre, sino alli tempi che Constantino ab-
„ bracciò la santa fede, e fu imitato da' successori.
„ All' hora, tra le altre cose *dalli santi* furono am-
„ maestrati i Principi, che portando essi due qualità,
„ l'una di Cristiani, l'altra di Principi, con ambidue
„ erano obbligati a servir Dio. In quanto Cristiani,
„ osservando i precetti Divini, com'ogni altro priva-
„ to: ma come Principi, servendo sua Divina Mae-
„ stà con ordinar bene le leggi, indirizzando ben li
„ sudditi alla pietà, honestà, e giustizia, gastigando
„ tutti li trasgressori delli precetti Divini, del deca-
„ logo maggiormente. Però quelli che peccano con-
„ tro la prima Tavola, che riguarda l'honor Divino,
„ sono peggiori di quelli, che peccano contro la se-
„ conda, la qual ha rispetto alla giustizia tra gli uo-
„ mini: e però sono più obbligati li Principi a punir
„ le bestemmie, l' eresie, ed i pergiuri, che gli ho-
„ micidi e li furti. Per questa causa contro l'eresie fe-
„ cero diverse leggi, registrate ne'Codici di Teodo-
„ sio, e di Giustiniano, imponendo alli colpevoli pe-
„ ne pecuniarie, bandi, privazione di parte, o di
„ tutti li beni, secondo le circostanze del delitto. L'e-
„ secuzione de'quali Leggi commisero alli ministri lo-
„ ro secolari. Ogni giudizio Criminale ha tre parti.
„ La cognizione della ragione del delitto: la cogni-
„ zione del fatto: e la sentenza. Nel giudizio dell'e-
„ resia la cognizione della ragione è, se la tal opinio-
„ ne sia eretica, o nò; la cognizione del fatto, se tal
„ persona accusata, o denunciata ha difeso, o tenu-
„ to, o dato indizio di tener quell'opinione. La sen-
„ tenza sta nell'assòlvere dall'imputazione l'innocente,
„ o condannar il ritrovato colpevole. La prima co-
„ gnizione, cioè qual'opinione sia eretica, è stata
„ sempre Ecclesiastica, nè può per alcun rispetto ap-
„ partener al secolare... In que'tempi (dopo il mil-
„ le)

„ le) pel gran numero di tal pelle d'eresia, dove la „ moltitudine eccedeva, conveniva per necessità tol„ lerarle. Dove si poteva, il Vescovo procedeva in „ quelle cause, come nell'altre nel modo detto di so„ pra, e li Pontefici Romani, con frequenti lettere li „ esortavano, ed eccitavano al loro debito: nè sin a „ tal tempo del mille dugento si udì questo nome d'of„ fizio dell'Inquisizione, o d'inquisitore contro l'ere„ sia. Ma essendo li *Vescovi, e li loro Vicarj poco at„ ti, e meno diligenti di ciò che li Pontefici Romani „ desideravano, e sarebbe stato necessario, furono in „ que'tempi opportunamente instituite* le due Religioni „ di S. Domenico e di S. Francesco, ed in breve s'em„ pirono delle più dotte e più zelanti persone di quel „ secolo, dedicate tutte a sostener la Chiesa Romana, „ e l'autorità Pontificia: de' quali servendosi li Pon„ tefici contro gli Eretici, li mandavano a predicare, „ e convertirli; per esortar i Principi, e li popoli „ Cattolici a perseguitare gli ostinati, e per informarsi „ in ciascun luogo del numero, e qualità degli Ere„ tici, del zelo de'Cattolici, e della diligenza de'Ve„ scovi, e portar relazioni a Roma. Dal che ebbero „ nome d'Inquisitori (1) „.

XIX. Hæc Sarpius, ex quibus patet quænam sit indoles Inquisitionis, & quomodo sit secundum spiritum Ecclesiæ, non autem ab ipso plurimum abhorrere, ut summa injuria Ticinensis ille nugatur. Aptius vero laudati Parisienses scriptores, qui fatentur ingenue, æque ac in cetera tribunalia terrena, etiam in illud Inquisitionis interdum vitia irrepsisse; tribuenda tamen alicujus administrationi, non autem institutioni. Quamobrem non Tribunal, sed personæ culpantur. Nam si propter aliquem abusum, vitia, & defectus tribunalia

(1) Paul. Sarpius Histor. Inquisit.

nalia culparentur, omnia tollenda forent. Veruntamen abhorrere quomodo potest a Religionis indole, & a spiritu Ecclesiæ Christianæ Tribunal Inquisitionis, quod scriptor ille concedit pag. 244. *diù subsitisse, & multis in locis adhuc subsistere fultum legibus Synodorum, ac Principum?* Quis est ille, seu qui sunt Gigantes elati supra tot ne dicam Summorum Pontificum, Synodorum, ac magnorum principum leges, quorum pietas & sapientia est omni laude superior? „ Nonne Conditor legum temporalium (ut ait Augu- „ stinus) si vir bonus est, & sapiens, illam ipsam „ consulit æternam, de qua nulli animæ judicare da- „ tum est, ut secundum ejus incommutabiles regulas, „ quid sit pro tempore jubendum vetandumque dis- „ cernat (1) „? Non ergo est crudelitas, ut scriptor ille crepitat, sed pietas crimina pro Deo punire, ut alibi docuit S. Doctor (2).

XX. Præterea quamvis Ticinensis contendat pag. *6.* & seqq. Ecclesiam posse & etiam debere aliquando tolerare mala, tamen cum Permissionem a Tolerantia distinguat, quæ ab Ecclesia simul & ab Imperio permittuntur, affirmat non *esse nisi bona & licita*. Si ergo evincamus certissime Ecclesiam æque ac Imperium Inquisitionis Tribunal non tolerasse tantum, sed permisisse atque probasse, erit etiam satis superque probatum, Ticinensem calumniose loquutum esse contra ipsum. Et revera concedit pag. 293. & 294. *Comitia Principum & Synodos Episcoporum frequentissime egisse de modo hæreticos insectandi; nec non Inquisitionis Tribunal diu subsitisse fultum legibus Synodorum ac Principum*. Ergo ex iis etiam, quæ fulgentissimæ veritatis lumen cogit ipsum concedere, sequitur, Tribunal Inquisitionis quin caussa suæ institutionis abhorreat a spi-

(1) August. de Ver. Relig. cap. 31.
(2) August. de Serm. Domin. in Monte lib. 1. infr. med.

a ſpiritu Eccleſiæ, *licitum eſſe ac bonum*. Quare a mendaciſſimo viro Philippo Limborchio deceptus, etiam alios decipere videtur ille ſtudere; utriuſque poteſtatis infamia.

XXI. Attamen ut clarius appareat rei veritas, ſub ſilentio præterire non poſſumus concilia œcumenica Lateranenſe quartum, Viennenſe, & Conſtantienſe, additis etiam Senenſi atque Baſileenſi, quibus veluti ſuo fulcro nituntur, qui Romanis adverſantur. Iſta enim Concilia vel ita loquuntur, ut Inquiſitionis Tribunal rite ſupponant exiſtere, vel inſuper leges præſcribere aggreſſi ſunt pro ipſius regimine, vel Tribunal ipſum apertiſſima lege probarunt (1). Idem etiam fecerunt Concilia quæ vulgo *Nationalia* dicuntur vel *Provincialia* Narbonenſe, Toloſanum, & Avenionenſe, & rurſus quæ habita fuere Valentiæ & Albigæ in Gallia; aliis quidem omiſſis, vel ibidem celebratis, vel alibi: quæ omnia non ſolum comprobarunt, verum etiam ſuis legibus Tribunal communire voluerunt, itemque providere, ut certis regulis atque canonibus judices uterentur ad inquirendos hæreticos, moderateque puniendos (2). Hinc Fridericus Imperator hujus nominis ſecundus, Philippus Auguſtus Galliarum Rex, Ludovicus Octavus, & præ ceteris ſanctus Ludovicus Nonus, aliique piiſſimi Reges atque Imperatores Tribunal ejuſmodi ſunt omni ſtudio patrocinati. Quæ cum ita ſint, cur ergo viventes principes regeſque, quorum *ſacramentum abſcondere bonum* erat, ſic Ticinen-

(1) Jacques Lenfant Hiſtoire du Concil. de Coſtance liv. 3. n. 2. pag. 197. & liv. 5. n. 44. pag. 483. edit. Aſterdam 1714.

Vid. Orat. habit. in Concilio Baſileen. ab Ægidio Carlerio. Concil. Lab. tom. 12.

(2) Vid. Du Pin Bibliotheque Eccleſ. tom. 10. Sæcul. 13. pag. 126. 127. 171.

Vid. Acta Concil. de Beziers habit. an. 1246. Concil. tom. 14. edit. Venet. & tom. 15.

fis laudat propter Inquisitionis Tribunal sublatum, ut mortuos inclytos omni genere laudis vituperare non desinat, quandoquidem legibus suffulsere cum superessent?

XXII. Sed qui Religionem cum quiete publica Imperii ita connexam agnoscit, ut eam Civili potestati subesse arguat, quid immemorem se præbet doctrinæ illorum magni sibi nominis philosophorum, Pufendorfii, Grotii, Barbeiracii, aliorumque, qui docent apud omnes fere gentes atque Respublicas extitisse Tribunal, quod de Religione inquireret, eamque ita custodiret, ut omnes novitates arceret atque puniret? „ Enimvero, ait Barbeiracius, penes quemque esse „ quod putaverit colere, adversatur sententiæ pene „ omnium rerumpublicarum, quæ unquam fuerunt. „ Omnes quippe circa cultum Divinum nonnulla con- „ stituerunt, pœnis etiam in refractarios aut delin- „ quentes sancitis. Diagoram Melium, qui omnino „ Deos esse negabat, & Epicureos ex bene moratis „ civitatibus ejectos legimus &c. (1) „. Hinc Socratis mors apud Athenienses; hinc Aristoteles docuit, *eum qui Deum honorandum, aut parentes amandos neget, non argumentis, sed pœna edomandum* (2); Hinc denique Plutarchus ajebat quod *omnis falsa de rebus Divinis persuasio esset perniciosa, accedente animi perturbatione, perniciosissima* (3). En ergo qua ratione se agebant Ethnici erga suos, ut ita dicam, hæreticos. Quæ tamen non eo dicta esse volumus, ut res eorum videamur curare, qui sunt extra Ecclesiam, sed ut Adversarius qui pro re sua (nostra enim non est) etiam Paganos advocavit, videat pro se neque ipsos habere.

Cete-

(1) Adnotat. in Pufendorf. lib. 7. cap. 4. §. 8. Tom. 2. pag. 172. edit. Francofurti 1759.

(2) Grot. de Pœnis lib. 2. cap. 20. §. 45. n. 3.

(3) Grot. ibid. §. 44. n. 3. & seq.

Ceterum nos præ oculis habentes Tertulliani Regulam quam præscripsit, *Quæramus in nostro, & a nostris, & de nostro* (1). Igitur sit.

CAPUT VIII.

De Tolerantia Ecclesiastica & Civili, & de gradibus ac varia specie utriusque juxta Sanctorum Patrum doctrinam:

I. Ticinensis auctor, uti saltem videtur, non ad inquirendam veritatem, sed potius ut hostem fingat, duas proponit sibi capit. 14. dirimendas quæstiones, quas maximas dicit, quoniam maximæ sibi sunt. Ait enim pag 303. „ Potissima quæstio est de „ Principe, qua parte princeps est, & societatis caput, an scilicet jure potestatis, ac muneris quo „ fungitur, expellere debeat & exterminare diffidentes in religione? An ex Principatus natura intolerantia consequatur in Religionis negotio „? Ut ergo definiat, proponit sibi rem altius ita repetendam esse, ut universum Areopagitarum senatum sit opus consulere. Quamobrem affirmat „ Inquiri oportere, „ an, & quam partem habeat Princeps in sacra ratione sui muneris? De jure Principum in sacra multi „ scripserunt (*Lutherani præsertim*), nos ea tantum „ attingemus in unum collecta principia, quæ necessaria sunt ad quæstionem dirimendam, quam habe„ mus præ manibus „. Principia collegit, sed utique infirmiora. Superius enim enarravimus eadem evertentes. Nam jus nullum habere Summum Imperantem in sacra religionis, jam demonstratum est certissimis argumentis.

II. Attamen esto quod habeant. Num inde sequeretur

(1) Tertull. de Præscr. cap. 12.

retur ejusmodi naturæ intolerantia, quæ, ut auctor ille contendit, præciperet omnino expellendos & exterminandos esse dissidentes in religione? Nequaquam. Sequeretur quidem si tota religio supponeretur Civicum illud atque Politicum Religionis spectrum, quæ Religio non est? Male igitur ex jure posito vel negato Imperantium in sacra, non prius definito genere sacrorum, sed uti vidimus, vera cum falsa religione confusa, eruit expulsionem & exterminium dissidentium in religione. Nam quæ non sacra, sed sacrilega sunt, & ad Civicam Ethnicorum Religionem respiciunt, ab Imperantium jure pendere si placet, ultro concedimus; rursusque ad hujusmodi pertinere doctrinam, Christianorum exterminium tentatum ab Ethnicis, qui nullam ideam habebant Religionis Divinitus datæ, quæ longe excederet vires potestatis humanæ. Secus ergo differendum est de religione Judaica vel Christiana. Quare neminem extare puto, qui aliqua caussa non respuat utramque Ticinensis hypothesim. Ego vero, ut infra patebit uberius, rejiciendas arbitror multiplici ratione.

III. Sed ut clarior tota res fiat, in primis cavendum est, ne confundantur diversæ tam tolerantiæ, quam intolerantiæ species. Etenim ut confusio tota vitetur non sufficit vulgaris illa distinctio posita inter civilem, seu potius inter politicam & ecclesiasticam tolerantiam; neque satis est permissionem a tolerantia sejungere. Nam præter duas illas tolerantiæ species, quas infra definire non desinam, non est confundenda tolerantia interior cum tolerantia exteriori, neque tolerantia erroris & doctrinæ, cum tolerantia rituum & personæ, aut tolerantia negativa cum tolerantia positiva, vel denique tolerantia verbi cum tolerantia gladii. Præterea idem dicendum est de Intolerantia, cujus totidem species habentur, quot numeratæ sunt de Tolerantia. Ita-

que

que Ticinensis, qui ceteris omissis, ponit Civilem tantum & Ecclesiasticam Tolerantiam, dum alteram ab altera separare nititur, utramque ita confundit, ut alteram pro altera sæpissime usurpet, utque modo tribuat tolerantiæ quæ sunt permissionis, modo vero permissioni quæ sunt tolerantiæ.

IV. Ne igitur ambiguitate nominum, æquivocationibus scilicet etiam nos errare videamur, exordientes a definitione, Tolerantiam Ecclesiasticam dicimus *Licentiam, quæ in Ecclesia datur unicuique defendendi vel oppugnandi quasdam doctrinas, quæ licet juxta nonnullorum placita bonæ sint vel malæ, non ideo tamen considerantur uti omnino falsæ, neque perniciosæ, neque hæresim sapientes &c. contra vero nec ita certæ, ut plenissimam fidem exigere debeant.* Itaque tolerantia hujusmodi vulgo nuncupatur etiam *Christiana* & *Theologica*, & præter quasdam opiniones circa religionem ejusque doctrinam, permittit etiam ut defendantur certi disciplinæ ritus, qui æque ac doctrina illa neque probati sunt, neque omnino reprobati, ac proinde non impediunt quo minus defensores habeantur vere Catholici, atque obedientes Ecclesiæ filii. Etenim scriptum est *Nolite per opinionem judicare fratres vestros* (1). Hinc est quod etiamsi diversę scholę in multis diversa substineant, omnes tamen ita defendunt ut in charitatis vinculo, & salva compage unitatis, communi suffragio obedientiam Ecclesię ejusque tribunali profiteantur. Quare Tolerantia generatim considerata definiri utique potest cum quibusdam ętatis nostrę philosophis, *Libertas, quæ unicuique hominum datur quodlibet seu agendi, seu loquendi, quin adprobare quisquam, vel damnare jus habeat.* Sed ex ipsa definitione patet tolerantiam, de qua loquimur extrinsecam esse, non vero intrinsecam, & pertinere ad res tantum-

(1) Vid. S. Optat. Milev. contr. Parmen. lib. 1. sub init.

tantummodo indifferentes, queque disputabiles sunt, neque ledunt jura societatis aut religionis. Etenim quæ revelata dogmata respicit, tota intrinseca est, neque reperitur in Ecclesia Catholica, neque dari potest.

V. Tolerantia vero Civilis aut politica circa religionem, ad Civilem Potestatem pertinet, *eaque est quæ impunitatem & securitatem promittit ac donat omnibus, qui pro suo arbitrio tuentur quamlibet falsam religionem & doctrinam; quæ non turbet pacem ac tranquillitatem Reipublicæ vel Imperii*. Quare tolerantia ista Civilis, ubi plenissima sit, beneficia legum, jurium, honorum, & bonorum societatis præsefert, absque eo quod ulla ratio habeatur ad religionem, quam quisque tuetur. Verum inter Acatholicos & præcipue inter quosdam plebejos philosophos, qui obstinatam incredulitatem sectantur, sunt qui utramque ideam confundunt, quoniam tuentur perfectam illam Religionum omnium tolerantiam, quæ conscientiæ Libertas vulgo nuncupatur, quæque nititur vel super illo falso ac perniciosissimo principio, ut homines valeant pro suo arbitrio religionem sequi, quam naturæ dicunt, aut nihil de Deo & de religione credentes, nihil de Deo & de religione curant, vel denique utrumque admittentes contendunt, hominem optime posse in qualibet religione servire Deo, & consequi salutem æternam.

VI. Hinc ejusmodi farinæ philosophi, nomine tolerantię intelligunt effrenatam licentiam quodlibet tam credendi quam dicendi circa Religionem, quin teneantur homines se subjicere auctoritati vel Ecclesiæ, vel Imperii; cum juxta ipsos nemo sit qui auctoritatem habeat inspiciendi in fidem & religionem alterius (1). Quare

(1) Rousseau lettres de la Montag. a Monf. l'Archeveque de Paris

Quare contemnunt eam Tolerantiam, quam dicimus Civilem, & unam Theologicam astruunt, contemplativam & Religiosam. „ J'entend dire (ait Rousseau) „ sans cesse qu'il faut admettre la Tolerance Civile, „ non la théologique. Je pense tout le contraire. Je „ crois qu'un homme de bien, dans quelque Religion „ qu'il vive de bonne foi, peut étre sauvé (1) „.

VII. Verum enimvero religio æque ac ratio clamant contra plebejos istos philosophos. Nam veritas naturalis cum sit una, & una sit revelatio Divina, utraque abhorret a monstruosa illa compositione pugnantium rerum & religionum, & sibi vindicat dogmatum unitatem & cultus. Itaque religio Chistiana quemadmodum ex natura sua est omnino intolerans, si de Tolerantia Theologica in sensu ejusmodi philosophorum loquatur, ita est omnino tolerans si de tolerantia Civili sermo sit. Prior enim necessario nascitur ex certitudine argumentorum, quibus innititur mundities, integritas, sanctitas, atque divinitas suorum dogmatum, Fidei, & Religionis; altera vero suum ducit ortum & consequitur a suavitatis indole ejusdem Evangelii, quæ cum sit lex amoris & gratiæ, in sui defensionem non adhibet, rigorose loquendo, nisi suadibilia. Civilis autem tolerantia perpendit solum quomodo se gerant homines, nec impedit quominus Magistratus & Imperantes vigilantiores sint pro conservatione ordinis & legum. Rectus vero ordo legesque nemini permittunt Religionem aggredi, quæ sit religio Imperii, nisi vel qui mittit, vel qui missus est supernaturalibus operibus, virtutibus & miraculis ostendat auctoritatem sibi Divinitus collatam, ad aliter agendum, uti

fecerunt

Paris pag. 60. & alib. passim. Voltaire Diction. Philosoph. sur le Plaisir. Mélang. Voyag. de sacr. & alibi pass. Poeme de la Loi Nat. Milit. Philos. ch. 20. aliique.

(1) Lettr. cit. pag. 53. & 67.

fecerunt Apostoli, & uti quotidie facit Ecclesia Christi. Quare perniciosissima illius tolerantię species, quę a spiritu Ecclesię omnino abhorret, non potest nisi contra rei naturam & per violentiam extrinsecus in praxim exire, quando scilicet legibus imperii cautum fuerit, ne quis propter suam religionem tam interiorem, quam exteriorem, & propter publicum externum cultum, vel turbetur, vel minimum detrimentum patiatur.

VIII. Attamen Ecclesia cum nullam compositionem agere possit cum quolibet errore & falsitate doctrinæ, hinc adversantur ejusmodi conscientiæ libertati, totisque viribus sese opponunt Catholici omnes, & permulti etiam Protestantes, inter quos pauci sunt qui eo errore ducuntur, ut contendant libertatem ejusmodi esse veluti naturæ ingenitam. Quare in Communione Anglicana non solum tolerare nolunt Catholicos, sed respuunt etiam presbyterianos, aliosque; inter Scotos vero non tolerantur Episcopales. Præterea notissimum est, maxime vero ex iis qui, volente Calvino, igne combusti sunt, Calvinistas exteriorem intolerantiam cooptasse dogmatum & personarum; utramque vero damnare Baelium, sed tantum probare contra Catholicos, propterea quod ipsi intolerantiores sunt, & habent dogmata, quæ adversari arbitratur publicam tranquillitatem Imperii (1). Sed scriptorum impiissimus ignorabat dogmata Ecclesiæ, æque ac suam intolerantiam. Ecclesia enim Catholica quemadmodum tolerat, atque permittit filios suos pacifice vivere inter se, theologica tolerantia in sensu a nobis datæ definitionis, ita Civili tolerantia præcipit pacificam ducere vitam cum infidelibus quibuscumque. Contra vero si tolerantia theologica sumatur in sensu illorum philosophantium, Ecclesia in sua communione neminem tolerat,

(1) Bayle de la Toleranc. Univers. tom. 1. discours Prelimin. pag. 110. edit. Rotterdam 1713. & tom. 2. Chap. 31.

lerat, quamobrem nemini suam donat communionem, qui sub uno Capite Christo, ejusque Vicario Romano Pontifice non profiteatur eamdem fidem, easdemque regulas morum non amplectatur.

IX. Sed opus est animadvertere intolerantiam eorum omnium, qui sunt extra Ecclesiam non esse ejusdem indolis atque naturæ, ac intolerantia Ecclesiæ Catholicæ. Etenim apud ibidem memoratos aliosque populos, uti sunt Dani, Suevi, Helvetii, & Germanorum non pauci, intolerantia tota exterior est, non vero interior: Siquidem intrinsecus omnes tolerantissimi sunt, omnesque concedunt homines Catholicam Religionem tuentes consequi posse salutem æternam. Contra vero Ecclesia Catholica quamquam extrinsecus sit aliquando tolerans, intrinsecus tamen est omnino intolerans, non solum quia constantissime negat hominibus, qui extra sua castra vagantur, sperandam esse salutem; verum etiam quia intrinsecus respuit quidquid non probat, neque probat nisi quæ certissima revelatione a Deo sunt sibi concredita. Extrinsecus vero non item. Multa quidem tolerat atque permittit, quæ non sunt certissima revelatione firmata, sed neque mala, neque falsa possunt haberi. Igitur non immerito observatur a multis quod recentiorum hæreticorum Communiones, & societates, quamquam aliquando mutuam inter se persecutionem exercuerint, tamen ipsa manente dogmatum discordia, coaluerunt, ut veluti inito fœdere una voce damnarent Romanam Ecclesiam, propter suam inflexibilem Intolerantiam circa quodlibet dogma, quod doceatur vel rejiciatur ab ipsa. Idem faciunt ætatis nostrę quidam minorum gentium philosophi, qui de sua perfidia & incredulitatę gloriantur.

X. Nec vero inter nostrates desunt plures qui non ea qua opus est præcisione de Tolerantia loquuntur. Nam confundunt sæpe sæpius non solum ea quæ perti-

nent

nent ad tolerantiam Ecclesiasticam, cum iis quæ Politicam tolerantiam respiciunt; sed etiam tolerantiam erroris cum tolerantia opinionis, & cum tolerantia personæ. Profecto Ecclesia Christi si de errore loquatur, atque de persequutione verbi, intolerans omnino est, si autem de opinione tolerantior, tolerantissima vero si de persequutione gladii, quæ tota pertinet ad Imperium. Persequutio seu intolerantia quę dicitur Verbi, in duas dividitur species, in partialem scilicet atque totalem. Totalis ea est quæ etiam plenissima dici potest, quæque damnat & anathematizat non modo errores, verum etiam errantes, ubi perniciosos reperiat; sed per se ipsa nunquam gladium stringit contra illos. Quę vero partialis est versatur circa solos errores, sed nullam patitur exceptionem, quoniam Ecclesia nunquam errores tolerat, vel tolerare potest, etiamsi toleret interdum errantes; quamobrem non semel opportune credit mitius agendum esse cum ipsis, donec affulgeat spes aliqua revocandi eos ad veritatem. „ Non enim, ait S. Augustinus, propter malos boni „ deserendi, sed propter bonos mali tolerandi sunt: „ sicut toleraverunt Prophetæ contra quos tanta dice- „ bant, nec communionem sacramentorum illius po- „ puli relinquebant: sicut ipse Dominus nocentem „ Judam usque ad condignum ejus exitum toleravit, „ & eum sacram cœnam cum innocentibus communi- „ care permisit, sicut toleraverunt Apostoli eos qui „ per invidiam (quod ipsius Diaboli vitium est) Chri- „ stum annunciabant &c. (1) „.

XI. Quando vero Ecclesia de errantium conversione desperat, eorumque errores quotidie fieri perniciosiores, tunc utrosque simul damnat & anathematizat. Sed aliud est Tolerantia, aliud impunitas, & aliud sunt crimina morum, aliud crimina perfidiæ, seu errores

(1) August. ep. 48. ad Vincent. Rogatist.

rores doctrinæ. Crimina puniuntur intra Ecclesiam, donec peccatores sese subjiciant ipsius auctoritati, & pœnitentiam amplectantur. Expelluntur vero ab Ecclesia, si per crimen erroris & perfidiæ, pertinaces & rebelles fiant. Igitur cum S. Augustino distinguendi sunt homines, & eorum crimina. Alii enim *audiunt & non faciunt*, uti sunt qui fidem habent sine operibus, alii audiunt & faciunt, uti sunt qui habent fidem & opera, alii denique neque audiunt, neque faciunt, ut qui neque fidem habent, neque opera, vel si hæc habent, non sunt ex Fide & Charitate; ac ideo neque sunt ad vitam. Quare Sanctus Augustinus regulam ponit *Ecclesiam tolerare eos, qui audiendo & non faciendo ædificant super arenam* (1).

XII. Attamen observandum est tolerantiam ejusmodi exteriorem esse, non vero interiorem. Nam Ecclesia, uti diximus, intrinsecus est omnino intolerans tam in ordine ad Fidem, quam in ordine ad mores; & nonnisi extrinsecus tolerat quidquid tolerare dicitur. Ex hoc fit, quod Tolerantia doctrinæ continuo præsefert tolerantiam simul & personarum, sed non e contra: nam ea quæ dicitur tolerantia personæ sæpe excludit tolerantiam doctrinæ. Et hi sunt gradus tolerantiæ æque ac intolerantiæ, quibus vel dicitur uti, vel revera utitur interdum Ecclesia Christi. Primus gradus cum sit Tolerantiæ quæ vocatur erroris, in Ecclesia non datur, nisi in sensu negativo, quatenus scilicet non semper errores vix natos, apertissima & plenissima damnatione percutit. Itaque hujusmodi Ecclesię tolerantia nihil aliud est, quam *apertissima & plenissima erroris non damnatio*. Gradus vero secundus est tolerantiæ personarum, quæ utique positiva est, ac habetur quando Ecclesia errantes non expellit, neque anathematizat. Tertius denique gradus est tole-

 rantiæ

(1) August. de Unit. Eccles. c. 16.

rantiæ personarum simul & erroris conjunctim. Sed patet ex hoc quomodo distinguenda sit tolerantia *Positiva* a tolerantia *Negativa*. Prior sive sit personæ, sive sit erroris dari plenissime potest in Imperio, non autem in Ecclesia, in qua partialis tantum haberi potest, ea quippe quę personę vocatur. Secus vero de Negativa dicendum est, quæ quidem reperitur in Ecclesia ęque ac in Imperio; sed cum in ipso possit esse aliquando diuturna, ex adverso in Ecclesia non potest esse nisi brevissima.

XIII. Sed quemadmodum Imperium corporaliter & publice punire solet peccata, quæ societatem conturbant, ita & Ecclesia spiritualiter & publice non raro punit, ac punire potest peccata, quę turbant pacem Christianorum & fidem. Quare intolerantia erroris templa negat publice haberi; quia negat suum pręstare assensum ad falsum cultum, & quia neque connivere, neque tolerare ullo modo potest Ecclesia, ut hæreticorum cultus, eorumque omnium, qui intra sua castra non militant, communis fiat cum proprio. Quamobrem Sanctus Ambrosius, & Sanctus Joannes Chrysostomus fortiter restiterunt, ne Arianis templa concederentur. Verumtamen Imperium etiam Christianum & Catholicum, sæpe sæpius permittit hæc omnia *Civili* seu *Politica tolerantia*: atque Ecclesia etiamsi continuo testetur eamdem execrare, ne videatur tolerare hæresim & superstitionem, tamen tolerat sæpissime Civilem illam Imperii tolerantiam, quamobrem Civilem Potestatem neque anathemate ferit, neque prius ab Imperio turbata, nititur & ipsa turbare pacem & tranquillitatem reipublicę, quæ nunquam ab Ecclesia, sed tantum a se ipsa turbatur. In Imperio enim, ad quod non pertinet doctrinę divinitus revelatæ depositum, tolerantia tum personę, tum erroris, non semper est novus error contra doctrinam, & fidem

Eccle-

Ecclesiæ. Id ergo totum est quod non semel facit, ac facere tuto potest Ecclesia Christi; *tolerantem se præbere Civilis Tolerantiæ*.

XIV. Verum Civilis Potestas ubi religionem Christianam profitetur, sine magna necessitate non potest, salva conscientia, ejusmodi tolerantiam adhibere. Nam si pravo toleret consilio, ut hæresi potius faveat, quam ut majora mala devitet, culpabilis omnino est ejusmodi tolerantia, neque connivere solet Ecclesia, sed arguere, obsecrare, increpare in omni patientia & doctrina. Secus vero si potestas Civilis toleret necessitate compulsa. Atque ex hoc elucet tam in Ecclesia, quam in Christiano Imperio omnis constantia, omnisque moderatio. Nam quemadmodum Ecclesia Divinitus edocta indesinenter optima ratione se gerit, ita & Summus Imperans, ad quem pertinet Civilis tolerantia, in hoc potest modo bene, modo vero male se gerere, quandoque occurrunt circumstantiæ, in quibus tolerare potest, vel etiam debet errores; & rursus tempora sibi incidunt, quando sine fidei jactura, & sine scandalo pusillorum tolerare nequit omnino. Non ita se res habet si de tolerantia Ecclesiastica sermo sit. Nam Ecclesia quamquam tolerantia gladii rectissime dicitur tolerare personas, semperque revera toleret, etiam quando gladium, vim scilicet Imperii arbitratur optime sibi esse impetrandam in ipsas, ut efficacior medicina paretur, tamen nunquam nisi negative, & ad brevissimum tempus, tolerat vel tolerare potest errores. Hinc ajebat Sanctus Ambrosius Valentiniano Augusto. „ Te Imperatore hoc petitur, & postulatur, ut aram jubeas elevari, sumptum sacrificiis profanis dari? Sed hoc non potest sine sacrilegio decerni.... Certe si aliud statuitur, episcopi hoc æquo animo pati & dissimulare non possumus. Licebit tibi ad Ecclesiam convenire, sed illic non in-

 „ venies

„ venies sacerdotem, aut invenies resistentem. *Alieni erroris societatem suscipere non possumus* (1) „.

XV. Patet ergo quænam sit differentia inter tolerantiam Imperii, & tolerantiam Ecclesię, in religionis negotio. Nam Imperium, in quantum Imperium est, ex natura sua cum nullam religionem persequatur, sed omnes toleret atque tolerare possit, nisi turbent Reipublicæ tranquillitatem; maxime vero persequi nullo jure potest Catholicam, quæ Divina est, quæque uti jam demonstatum est, rempublicam perficit atque consolidat. In quantum vero Summus Imperans Christianus est, debet Ecclesiæ Catholicę sese conformare, debet Divinum cultum promovere, unicam fovere religionem, Ecclesiam denique unam Apostolicam adjuvare, non vero in miserrimam servitutem redigere. „ Un Prince, quoique maitre souverain dans ses Etats, „ quoique comptable à Dieu seul de l'exercice de sa „ puissance, ne doit jamais ni décider, ni approuver, „ ni établir l'erreur, ni persécuter la vérité (2) „. Contra vero Ecclesia quum nullum toleret vel tolerare possit errorem, vel regnantem in solio, rursusque tolerantia gladii omnes homines toleret, & neminem gladio persequatur, maxime ergo tolerare debet Summum Imperantem, non modo ubi errare conspiciat circa religionem, sed etiam quando ab ipso patitur persecutionem, qui est supremus tolerantiæ gradus(3). Ex eo itaque fit ut Ecclesia, cum non desinat verbo monere filios suos, de Imperantium errore in re religionis, ne potentiori exemplo contaminentur, reprobare simul non cessat, quamlibet subditorum rebellionem in Summos Imperantes. Orare & pati sunt arma, quæ errantibus persecutoribus opponit Ecclesia Christi,

(1) Ambros. ad Valent. Imper. epist. 11.
(2) Gauchat preface in tom. 14.
(3) Tertull. Apologet. cap. 31. & seq.

fti, quæque tamen efficacissima sunt apud Deum (1).

XVI. Quemadmodum ergo Ecclesię intolerantia tota sita est in damnatione omnium errorum, & in errantium proscriptione, qui ejus spernentes auctoritatem, ab unitate doctrinæ recedunt; ita & tolerantia ipsius in non damnatione consistit. Attamen per intolerantiam quæ interior est, non studet Ecclesia nisi custodire Fidei Depositum, per eam vero quæ exterior est non insuper quærit errantium sanguinem & destructionem, sed eorum salutem: neque alio unquam utitur medio nisi sapientia & Charitate. Igitur Ecclesia duplici damnatione utens, intolerans quidem est, sed non ducitur nisi spiritu veritatis, suavitatis, & mansuetudinis, qui spiritus Christi est; non abutitur sua potestate, sed summa utitur æquitate atque moderatione. Insuper Ecclesia Christi procedit etiam ulterius in ordine ad personas. Nam ut majora mala devitet non raro accidit, ut ea hominis tolerantia quæ tota exterior est, errantes aliquando diutissime toleret intra sua castra, præsertim vero si agatur de Summis Imperantibus, itemque si spes aliqua affulgeat eos revocandi ad veritatem.

XVII. Attamen patet errantes ejusmodi, qui interioris charitatis & fidei vinculo carent, sub anathemate degere, ac interius ab Ecclesiæ unitate sejunctos esse. Et quanquam indulgentia quadam sapientissime tolerati sint extrinsecus ab Ecclesia, tamen ipsi non ideo sunt coram Deo minus culpabiles & contumaces, quam si exteriori sua communione spoliaret Ecclesia. Et revera quilibet Christianus veluti induratus & obcæcatus habendus est, si cum sit oneratus peccatis, tamen propter illam exteriorem sacramentorum participationem, confidit se esse minus peccatorem, & minus re-

 bellem

(1) Censure de la Faculté de Théologie de Paris, contre le livre qui a pour titre = Belisaire = pag. 118. & seq.

bellem Ecclesiæ. Non enim exteriora sufficiunt ut quis ducatur spiritu Christi, & sit vere plenoque jure Christianus, sed necessaria insuper est Charitas de corde puro, & de fide non ficta. Quare malæ conscientiæ reatus eo magis crescit, quo magis abutuntur potentes cultu & religione sacramentorum Ecclesiæ.

XVIII. Ergo intolerantia Christiana quum prudentissima sit, tamen ubique terrarum semper est eadem, semper firmissima, & nunquam minus accurata. Ratio vero qua se gerunt Imperantes vel erga semetipsos, vel erga eos, qui falsam tuentur religionem, nunquam potest esse regula Ecclesiæ, quæ Divinitus edocta a nemine discit, omnesque docet. Quare tolerantia civilis cum a Societate, vel a Summo Imperante dependeat, est ubique varia & mutabilis: Christiani vero quin potius judices sese constituere audeant sui Principis, vel contra Dei mandatum turbare præsumant Civilem Societatem, aut unum violare officium æquitatis, tenentur in rebus hujusmodi honorem & obedientiam Summo exhibere Imperanti, rursusque cavere a fermento ipsius malitiæ, & firmissime inhærere regulis Ecclesiæ in iis omnibus, quæ religionem & cultum respiciunt sive interiorem, sive exteriorem. Quare docuit ipse Dupinius, quod *Ecclesia non debet legibus principum parere, cum in destructionem legis Dei conditæ sunt* (1).

XIX. Luculentissima exempla tradiderunt nobis primitivi Christiani, qui quum separati essent constantissime a cunctis infidelibus, in iis omnibus quæ religionem respiciebant, pacifice tamen vitam suam degebant cum ipsis, in ordine ad ea omnia quæ Civilia dicuntur: itemque jura societatis & officia præ oculis habentes, reipublicę inserviebant in iis omnibus, quæ temporalia sunt, neque pertinere arbitrabantur ad religio

(1) Du Pin de Antiq. Eccles. Discipl. Dissert. 7. cap. 3. §. 4.

ligionem. *Quapropter Christiani bonis moribus & observatione legum* (ait hęreticus homo Joannes Clericus), *quæ quidem religioni suæ non adversantur, Magistratuum protectionem demereri opus habent* (1). Attamen tolerandi personas plures solent esse caussę quę patent ex dictis, magisque patebunt ex infra dicendis; tolerandi autem errores nullam caussam habet, vel habere potest Ecclesia, ut superius diximus; plures vero sæpissime solet habere Imperium.

XX. Quamobrem tam longe est, ut *ex principatus natura intolerantia consequatur in religionis negotio*, ut e contrario Imperium, in quantum Imperium est uti diximus, quamlibet religionem toleret, quę non turbet reipublicæ tranquillitatem: Rursusque religio, si vera religio est, ex sui natura nullo jure pertinet ad inspectionem vel jurisdictionem Imperii, ac proinde falsissimum est Imperium ex natura sua expellere debere, vel exterminare dissidentes in Religione. Inanis ergo Ticinensis contentio, quæ in medio spatio frangitur & corruit. Quid enim tolerantiam a permissione tam sollicite distinguere curat, qui sæpe sæpius confundere solet tolerantiam Imperii, cum tolerantia Ecclesiæ? Si enim verum est, quod ipse affirmat pag. 60. *Tolerari quæ mala sunt, & illicita; & Ecclesiam plura licite posse & debere tolerare mala*, non poterat asserere nisi vel callide, vel imperite quæ pag. 5. ita leguntur. „ Nec ideo putandum est tolerantiæ fines esse „ solum Legislatoris silentium super aliqua re vel a„ ctione, quasi lex quælibet, quæ a potestatibus fiat, „ tolerantiam in permissionem convertat, ac bonum, „ vel saltem indifferens illud reddat quod malum est. „ Habet Tolerantia leges suas, quibus & legislatoris „ voluntas declaratur, & tolerantiæ fines præscribun„ tur. Nolo de variis modis differere, quibus vel le-

 „ ges

(1) Cleric. Hist. Eccles. Proleg. Sect. 3. cap. 4. n. 12.

„ ges abeunt in desuetudinem, vel aliqui abusus tole- „ rari a Principe intelliguntur . . . . . Nobis satis est „ animadvertere etiam tolerantiam eorum quæ mala „ sunt, posse per legem indici, nec idcirco toleran- „ tiæ naturam mutari; quia hæc per legem effertur. „ Notum est omnibus libellum repudii, non quidem „ permissum ut bonum; vel tamquam indifferentem „ a lege Moysis fuisse, sed solum toleratum ut minus „ malum. At quis ignorat legem super hanc rem la- „ tam a Moyse, modumque per legem fuisse præscri- „ ptum; quo id executioni mandaretur? Leges vero „ civiles & Ecclesiasticas, quæ tolerantiam respiciunt „ quis enumeret „?

XXI. Falsum in primis est, Ecclesiam indicere posse leges ad toleranda quæ mala sunt, neque exemplum ejusmodi invenitur in tota Ecclesiastica historia. Sed quid tanta cura miscere studet ibidem & alibi leges Imperii, cum legibus Ecclesiæ? Quid data opera confundit tolerantiam & legislationem unius, cum tolerantia & legislatione alterius? Quid leges Ecclesiæ cum jactet pro tolerantia malorum, ne unam quidem affert, & unico allato exemplo confugit ad Moysen in veteri Testamento? Quid hoc? Nisi verissimum sit quod superius animadvertimus, Scriptorem illum inducere voluisse in legentium animum, leges Ecclesiæ vim non habere obligandi hominum conscientias, nisi prius legibus Imperii firmatæ sint? Verumtamen neminem arbitror ignorare Matrimonium in Veteri Judæorum fœdere, quamquam actus religionis extiterit, propterea quod in Theocratica ipsorum republica, omnia ad Religionem spectabant, totumque regimen religiosum erat, tamen nonnisi rationem civilis contractus habuisse, nunquam vero sacramenti, ad cujus dignitatem sustulit Christus, nec non legem Moysis longe distasse a perfectione Evangelii. Quare Libellus repudii

pudii nihil probat pro malorum tolerantia, quam Ticinensis tribuit Ecclesiæ Christi. Ceterum si de Judæis sermo sit, notissimum est, omnimodam Religionis intolerantiam a Deo fuisse iisdem sæpissime imperatam, præsertim vero in Deuteronomio verbis hujusmodi „ Si „ tibi voluerit persuadere frater tuus aut amicus, „ quem diligis ut animam tuam, clam dicens: Eamus, ut serviamus diis alienis, quos ignoras tu, „ & patres tui .... non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, ut miserearis & occultes eum, *sed statim interficies*. Lapidibus obrutus „ necabitur &c. „ (1)

XXII. Pręterea ex intolerantia religionis Judaicę profluere patet non solum divisionis murum inter ipsos & gentes omnes, & perpetuam inimicitiam eorum cum Samaritanis, verum etiam pœnas latas contra Sadducęos, quorum secta jn medio Judęorum negabat dogma immortalitatis animę. Quamobrem in pœnam erroris ejusmodi excludebantur ab officiis & honoribus publicis, ut animadvertit acatholicus vir, tolerantięque patronus Henricus de Coccei (2). Denique in exordio Ecclesię nemo non scit repugnantiam, quę diutius persistere visa est inter fideles ex Judaismo, & fideles ex Gentibus ad Christum conversos. Quare libellus repudii in Judęorum matrimonio sub ordine illius Providentię Divinitus permissus, nonnisi minus bonum fuisse demonstratur, minusque bona in Judęorum Ecclesia fuisse Divinitus permissa, nunquam vero quę mala revera sunt tolerata. Non me tamen latet etiam minus bona, aliquando mala vocari; quoniam cum melioribus comparata,

(1) Deuter. cap. 13. v. 6. & seq.
(2) Cocce. Commen. ad Hugon. Grot. de pœnis lib. 2. cap. 20. §. 50.

ta, mala revera videntur. Nam *cuique non est bene*, ait Sanctus Augustinus, *si melius esse potest. Quare si nobis potest bene esse cum ipsa veritate, male sumus cum quolibet vestigio veritatis* (1).

XXIII. Sed danda opera est, ut Scriptoris Ticinensis perpendamus asserta. Facilius enim ad propositum deveniemus. Asserit ergo cap. 1. §. 4. pag. 4. *illud certum esse non permitti nisi quod licitum est... At utrumque actionum permissarum genus res vel bonas, vel saltem natura sua indifferentes respicit, quæ ob eam causam permissæ dicuntur. Quare quod malum est, non permittitur, sed toleratur.* Quemadmodum ergo, ipso judice, omnia quę permittuntur, licita & bona sunt, ita quę tolerantur non sunt nisi illicita & mala. Priora dicuntur permitti comparatione aliorum, quę cum sint magis bona, pręcipiuntur; posteriora vero quę tolerantur *per effectum patientiæ* (pag. 2.) non possunt esse secundum spiritum Christi, neque secundum spiritum Ecclesię. Equidem Ecclesia fidissima Christi sponsa cum tota pulcra sit, non habens neque maculam neque rugam, nunquam datis legibus tolerat, vel tolerare potest, quę Scriptor ille ad tolerantiam pertinere affirmat. Quare tota malorum tolerantia pertinet ad Imperium, non ad Ecclesiam, in qua non alia Tolerantia reperitur, vel reperiri potest, pręter tolerantiam personarum, tolerantiam negativam, & illam quę recte dici potest Tolerantia Civilis Tolerantię. Ceterum in Ecclesia castigate loquendo, etiam juxta Ticinensis principia, non habetur nisi Permissio; quoniam Ecclesia cum optima quęque cupiat, non potest assentiri nisi bonis & veris, conniventiam vero iis prębere, quę mala non sunt, sed probabiliter bona, aut saltem minus bona, facta compara-

(1) August. de Ver. Relig. cir. med.

paratione aliorum quę sunt meliora. Quę autem falsitatem pręseferunt, & mala revera sunt, ab Ecclesia continuo reprobantur.

XXIV. Clarissima est S. Augustini doctrina super hoc dicentis. „ Carnales autem suos viventes, aut „ sentientes carnaliter, tanquam paleas tolerat (Ec-„ clesia), quibus in area pro voluntate quisque vel „ palea, vel frumentum est, tandiu sustinetur pec-„ catum aut error cujuslibet, donec aut *accusatorem* „ *inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animosi-* „ *tate defendat* „ (1). Pręterea omne malum, eodem S. Doctore judice, cum sit *inordinatus affectus, quo creaturæ potius, quam Creatori servitur* (2); *Ecclesia vero Catholica mater sit Christianorum verissima* (3), neque possit facere, aut docere malum, sed *damnet continuo mores hominum qui mali sunt, & continuo malos filios corrigere studeat* (4); hinc est quod tandiu tolerat errantes etiamsi mali sint, quandiu sperat eos revocare ad bonam frugem. Quanto magis ergo potuit vel debuit Ecclesia tolerare Cyprianum errantem circa Baptismum, & Massilienses circa initium Fidei, aliosque aliter aberrantes a veritate, qui non mali sed optimi ac sanctissimi viri erant? Attamen Ecclesia nunquam tacuit super ipsorum errores, ac proinde falsissimum est quod Ticinensis exemplo eorum temere proponit (cap. 4. §. 4. pag. 49.) *errorem licite posse, imo & debere aliquando ab Ecclesia tolerari*.

XXV. Augustinum præcesserat in eadem verissima doctrina Sanctus Pacianus „ Vides ergo (ajebat Sym-„ proniano) non pœnitentibus dictum, sed de iis, „ qui

(1) August. de Ver. Relig. cap. 6.
(2) August. ibid. paul. infer.
(3) August. de Morib. Ecclef. cap. 30.
(4) August. ibid. cap. 34.

„ qui non solum ipsi in facinore perseverant, verum „ etiam qui nos scandalizare non desinunt. Hi quamlibet cari sint, relinquendi: quamlibet utiles, deferendi sunt. Proponis adhuc dixisse Apostolum „ Paulum: *Auferte malum ex vobis ipsis, malum utique perseverans*. Ceterum pœnitęntia malum non „ est .... Qui nec dum pęniteat, qui nec dum improbus esse desierit.... Deinde vides, quod hic ipse „ peccator incestus non morti traditur sed Satanæ, „ ad emendandum, ad colaphizandum, ad pœnitendum. Denique ait: ad interitum carnis, non tamen animæ, non etiam spiritus, sed ad solius carnis interitum, tentationes scilicet, carnis angustias, „ detrimenta membrorum &c. „ (1). Sed redeamus ad Sanctum Augustinum, quoniam tanto Doctore potiori jure quam Ticinensis gloriamur.

XXVI. Equidem fateor cum ipso præscindendæ Unitatis nullam extare juxtam caussam, sed plurimas contingere, quibus opus est, jam præcisę a Novatoribus Unitatis doctrinæ reatum vulgare, ne simpliciores viri scandalum patiantur. Unitas enim Ecclesiæ non pendet a pace cum errantibus, ut falso Scriptor ille arbitratur, sed ab Unitate Magisterii, Cathedræ, atque Doctrinę. Quare Novator statim ac novam doctrinam spargit, ac nova dogmata docet, quæ non sunt Ecclesiæ, novum etiam magisterium, novam cathedram, novum altare, & novam Ecclesiam erigit quę non est Christi. Atque si pertinacia laboret ab antiqua Ecclesia discedens, jam foras exivit, jam præcisus est, jam judicatus est. „ Nam ubi non Christus „ (ait Augustinus) qui veritas est, sed falsitas & mendacium prædicatur, apertissime prohibet (Apostolus) ad Galatas dicens, si quis vobis evangelizave-

„ rit

(1) Pacian. ad Sympron. epist. 3. infr. med.

„ rit pręter id quod accepiſtis, anathema ſit (1). At-
„ tamen *quid tam bonum, & tam jucundum, quam*
„ *habitare fratres in unum* (2)? Sed eligite, inquit,
„ quod velitis, *aut non obeſſe in una Communione te-*
„ *nebras luci, ſed ſufficere luci ut tenebras improbet*,
„ & eas pro Unitate, ſi expellere non poteſt, toleret,
„ atque ita non fuiſſe cauſſam cur ab innocentibus fra-
„ tribus, quos malos certe non potuiſtis oſtendere,
„ ſi vobis cognitos etiam fuiſſe dicatis, tenebroſo
„ ſchiſmatis ſacrilegio disjungeremini: aut ſi non ſuf-
„ ficit luci ut improbet quas expellere non poteſt te-
„ nebras, ideſt, ſi non ſufficit bonis, ut improbent
„ malos, quos excludere vel emendare non poſſunt,
„ facilius unus Optatus partem Donati maculavit,
„ quam quilibet Afer traditor tot gentes per orbem
„ terrarum &c. .... *Quiſquis ergo vel quod poteſt ar-*
„ *guendo corrigit, vel quod corrigere non poteſt,*
„ *ſalvo pacis vinculo excludit, vel quod ſalvo pacis vin-*
„ *culo excludere non poteſt, æquitate improbat, firmita-*
„ *te ſupportat, hic eſt pacificus*, & ab iſto maledicto im-
„ munis quod Scriptura dicit. Væ his qui dicunt quod
„ nequam eſt bonum, & quod bonum eſt nequam &c.
„ (3). Ergo præcidendæ unitatis nulla eſt juſta neceſ-
„ ſitas, cum ſibi nequaquam ſpiritaliter nocituros ma-
„ los ideo tolerent boni, ne ſpiritaliter ſejungantur a
„ bonis, cum diſciplinæ ſeveritatem conſideratio cu-
„ ſtodiendæ pacis refrenat aut differt quam tamen ſecu-
„ ritas exerit, *cum apparet ſine vulnere ſchiſmatis ad*
„ *ſalubrem correctionem, poſſe aliquid eccleſiaſtico ju-*
„ *dicio vindicari* (4).

XXVII. At-

(1) Auguſt. contr. Parmen. lib. 2. cap. 11.
(2) Auguſt. ibid. cap. 1.
(3) Auguſt. ibid. cap. 1.
(4) Auguſt. ibid. cap. 11.

XXVII. Atqui sumus non ad eradicandum, sed ad corrigendum. Verum si correpti a nobis errantes resipiscere noluerint, neque se pœnitendo emendaverint, ipsi foras exiisse putantur, atque sponte ab Ecclesiæ unitate discessisse: quamobrem metus amplius non est eradicandi triticum (1). Itaque Augustini firmissima regula est, ut cesset quęlibet tolerantia etiam personæ, statim ac cujusque crimen ita notum est,
„ & omnibus execrabile apparet, ut vel prorsus nul-
„ los, vel non tales habeat defensores, per quos pos-
„ sit Schisma contingere: non dormiat severitas di-
„ sciplinę, in qua tanto est efficacior emendatio pra-
„ vitatis, quanto diligentior confirmatio charitatis...
„ Tunc autem hoc sine labe pacis & unitatis, & sine
„ læsione frumentorum fieri potest, cum Congrega-
„ tionis Ecclesię multitudo ab eo crimine quo ana-
„ thematizatur aliena est. Tunc adjuvat Prępositum
„ potius corripientem, quam criminosum resisten-
„ tem. Tunc se ab ejus conjunctione salubriter con-
„ tinet, *ut nec cibum quisquam cum eo sumat, non*
„ *rabie inimica, sed coertione fraterna*. Tunc etiam
„ ille & timore percutitur, & pudore sanatur, cum
„ ab universa Ecclesia se anathematizatum videns,
„ sociam turbam cum qua in delicto suo gaudeat,
„ & bonis insultet, non potest invenire .... Ita enim
„ & salva pace corrigitur, & non interfectorie per-
„ cutitur, & medicinaliter uritur. Propterea & de il-
„ lo dixit quem tali medicina sanari voluerat, satis huic
„ est correptio quę fit a multis. Neque enim potest
„ esse salubris a multis correptio, nisi cum ille cor-
„ ripitur, qui non habet sociam multitudinem. Cum
„ vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil
„ aliud bonis restat, quam dolor & gemitus... Et re-

„ vera

(1) August. ibid. lib. 3. cap. 2.

„ vera si contagio peccandi multitudinem invaserit, „ divinæ disciplinæ severa misericordia necessaria est: „ nam consilia separationis & inania sunt, & perniciosa atque sacrilega, quia & impia & superba „ fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quam „ corrigant animosos malos (1).

XXVIII. Qui vero accusatorem habent, & pravam opinionem pertinaci animositate defendunt, non amplius tolerantur ab Ecclesia, sed excluduntur. „ Exclusi autem, ait S.Doctor, aut pœnitendo redeunt, „ aut in nequitiam male liberi defluunt ad monitionem „ nostræ diligentię, aut schisma faciunt ad exercitationem nostræ patientiæ, aut hæresim aliquam gignunt ad examen sive occasionem nostræ intelligentiæ. *Hi sunt exitus Christianorum carnalium, qui* „ *non potuerunt corrigi, aut sustineri* (2) „. Sed quemadmodum in Civili republica evenit aliquando, ut unus pro alio, innocens pro peccatore non semel absque injuria pœnis afficiatur, (3) ita & in Ecclesia interdum contingere potest, ut cum sontibus etiam insontes expellantur, atque anathemate percutiantur. Quare Sanctus Augustinus prosequitur ibidem „ Sæpe enim sinit „ Divina providentia propter nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones, expelli de „ congregatione Christiana etiam bonos viros. Quam „ contumeliam vel injuriam suam, cum patientissime „ pro Ecclesiæ pace tulerint, neque *ullas novitates*, „ *vel schismatis, vel hæresis* moliti fuerint, docebunt „ homines quam vero affectu, & quanta sinceritatis „ gratia Deo serviendum sit. Talium ergo virorum „ propositum est, aut sedatis remeare turbinibus, aut „ si

(1) August. ibid. lib. 3. cap. 2.

(2) August. de Vera Relig. lib. 1. cap. 6.

(3) Vid. Ægid. Carler. Orat. habit. in Concil. Constantien. Conc. Lab. tom. 12. Colum. 1235.

„ si id non sinantur, vel eadem tempestate perseve-
„ rante, vel ne suo reditu talis aut sævior oriatur, te-
„ nent voluntatem consulendi etiam eis ipsis, quorum
„ motibus perturbationibusque cesserunt, sine ulla
„ conventiculorum segregatione usque ad mortem de-
„ fendentes, & testimonio juvantes eam fidem, quam
„ in Ecclesia Catholica prędicari sciunt. Hos coronat
„ in occulto Pater in occulto videns (1).

XXIX. „ Repudiatis igitur (pergit S. Doctor) omni-
„ bus, qui neque in sacris philosophantur, nec in phi-
„ losophia consecrantur, & iis qui *vel prava opinione*
„ vel aliqua simulatione superbientes, a regula & com-
„ munione Ecclesiæ Catholicæ *deviarunt*, *& iis* qui
„ sanctarum scripturarum lumen, & spiritalis po-
„ puli gratiam, quod Novum Testamentum vocatur,
„ habere noluerunt, quos quanta potui brevitate per-
„ strinxi. Tenenda est nobis Christiana religio, &
„ *ejus Ecclesiæ communicatio quæ Catholica est*, & Ca-
„ tholica nominatur, non solum a suis, verum etiam
„ ab hominibus inimicis. (2) Quare multi corrigun-
„ tur ut Petrus; multi tolerantur ut Judas; multi ne-
„ sciuntur donec veniat Dominus, qui illuminet ab-
„ scondita tenebrarum, & manifestet cogitationes cor-
„ dis. Nam plerique *propterea nolunt accusare alios*,
„ *dum se per illos* cupiunt excusare. Plerique autem
„ boni Christiani propterea tacent, & *sufferunt alio-*
„ *rum peccata quæ noverunt*, *quia* documentis sæpe de-
„ feruntur, & ea quæ ipsi sciunt, *judicibus Ecclesiasti-*
„ *cis probare non possunt*. Quamvis enim vera sint
„ quædam, non tamen judici facile credenda sunt,
„ nisi certis judiciis demonstrentur „. Post hæc Au-
gustinus excusat sese, aliosque Ecclesiæ Antistites quod
crimi-

(1) August. de Ver. Relig. ibid.
(2) August. ibid. cap. 7.

criminosos viros tolerent aliquando in Ecclesia, ac dicit ,, Nos vero a Communione prohibere quenquam ,, non possumus: (quamvis hæc prohibitio nondum sit ,, mortalis, sed medicinalis) nisi aut sponte confessum, ,, aut aliquo sive sæculari, sive Ecclesiastico judicio ,, nominatum atque convictum ,, (1). Denique S. Doctor Apostoli auctoritate concludit *non temere, aut quomodolibet sed per judicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communione: ut si per judicium auferri non possunt, tolerentur potius, ne perverse malos quisque* evitando, ab Ecclesia ipse, eos quos *fugere videtur, vinciat in gehennam* (2).

XXX. Hujusmodi ergo sunt ab Augustino traditæ regulæ de novis erroribus damnandis, & de curandis atque vitandis hæreticis; ex quibus latissime patet Ecclesiam non posse datis legibus errores tolerare (uti falso Ticinensis contendit) nec unquam revera tolerasse mala, nisi modo negativo, quatenus scilicet cum neque ad brevissimum tempus taceat super ea quæ miserrime grassantur, tamen prudentissime existimat aliquando sibi abstinendum esse a solemni condemnatione ipsorum. Itemque cum erga errores nullam conniventiam adhibeat, ac insuper anathemate percutiat, quando accusatorem habent, & pertinaci animositate defenduntur, tamen ubi agitur de personis, Ecclesia patientissima est, præsertim vero si eluceat spes aliqua eas revocandi ad Catholicam veritatem, & ubi ex earum apertissima damnatione majora mala non reformidet. Quare eodem teste Augustino, Ecclesia *alios invitat, alios excludit, alios relinquit. Suos tamen Carnales filios* tolerat, donec tegminibus exuantur, quibus vestiuntur extrinsecus, ut cum fidelibus confundantur. (3)

(1) August. Serm. 351. de Pœnit. n. 10. & seq.
(2) Aug. ibid.
(3) August. de Ver. Relig. cap. 6.

XXXI. Sed intolerantia ista non est intolerantia gladii, quæ in Ecclesia non habetur. Intolerantia verbi atque doctrinæ ea est, qua nititur expellere a se, a suaque communione eos omnes, qui falsa dogmata pertinaci animositate docent. Ita ut homines isti vel foras exeuntes, Ecclesiam apertissime deserunt, vel intus remanentes, hypocrisi sese ultro cooperiunt, ac veluti ad tenebras sponte damnati delitescunt. Quare Felix Papa III. & Romana Synodus ajebant Acacio = *Error, cui non resistitur approbatur, & veritas, quæ minime defensatur, opprimitur* (1). Nonaginta autem episcopi Italiæ & Galliæ sub Damaso Papa concilio congregati inquiebant episcopis Illyrici = *Credimus autem languentes in isto conamine, non tarde a nostra separandos esse communione, & ab eis episcopatus nomen auferri, quatenus populi eorum, liberati errore respirent* (2). Et episcopi Galliæ certiores facti a Joanne Papa VIII. de damnationes errorum Lamberti, & Adalberti, responderunt „ Judicium vestræ auctoritatis, quod privilegio beati Petri & Sedis Apostolicæ in eos & complices eorum, juxta sacros canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos, & secundum ejusdem Romanæ Sedis Pontificum decessorum vestrorum Decreta protulistis, voto, voce, & unanimitate nostra, atque auctoritate Sancti Spiritus, cujus gratia in episcopali Ordine sumus consecrati, *gladio Spiritus*, quod est Verbum Dei, *eos interimentes persequimur* „ (3). Itaque ipsi Calvinistæ ad instar Ecclesiæ Catholicæ statuerunt in sua pseudo-Synodo *nibil tolerandum, quod aliquo modo contrarium sit doctrinæ ibidem ab ipsis firmatæ*

(1) Felix & Synod. Rom. ad Acac. epist. 1. Concil. tom. 4.

(2) Relat. episcop. Ital. & Gall. ad episcop. Illyrici cap. 4. int. epist. Damas. apud Coust. epist. 3.

(3) Concil. tom. 11. pag. 312. Edit. Venet.

matæ ac definitæ (1). Jurieus vero, qui tolerantiam Civilem indivisam esse ab Ecclesiastica contendebat, omni conatu rejiciendam curavit utramque, neque civilem admittere voluit, qua contentus erat Basnagius, qui primus omnium de Tolerantia Civili & Ecclesiastica fusius pertractavit, ut alteram ab altera separaret (2).

XXXII. Quæ cum ita sint, non debet Ecclesia Christi errores atque hæreses ideo tolerare, quod totis viribus nitatur conservare vinculum pacis & unitatis, ut Ticinensis contendit. Etenim non aliud quam hoc in animis hominum instillare præsumunt hæretici illi tolerantissimi, qui Christi universalem Ecclesiam confingunt ex unione Sectarum omnium, quæ sub uno invisibili Capite Christo, Christianam religionem aliquo modo profitentur. Quare potius dicendum est Ecclesiam nullo modo posse tolerare errores, propterea quod Unitatem Fidei necessario tuetur, neque pacem Christi habere potest cum heresi. Ecclesia igitur quamquam nunquam sileat super novos errores, neque suum differat judicium, aliquando tamen novo anathemate illos percutere sapientissime differt, non schismatis timore cum errantibus pertinaciter, quoniam schisma natura sua nascitur, ubi pertinacia conspicitur, sed ne schisma eorum crescat, aliosque trahat secum propter errantium potentiam; itemque ne videatur præcipitanter egisse, maxime si spes aliqua affulgeat de correctione ipsorum.

XXXIII. Sed quod non potest facere Ecclesia, potest facere Imperium, quamquam sit Christianum. Nam Civilis Potestas potest aliquando, etiam salva fide & conscientia, diu tolerare non tantum errantes, verum etiam

(1) Bossuet Advertiss. 6. aux Protest. §. 18. 19.
(2) Bossuet ibid. §. 71.

etiam errores, quin legibus pœnalibus errores vel errantes afficiat. Veruntamen ut immunis a seductione remaneat, vehementer cavendum, ne civilis ista tolerantia Ecclesiastica fiat, propterea quod, ut animadvertit clarissimus Bossuetus, omnes nova molientes circa religionem, tólerantia civili sese præbent contentos, ut ejusmodi sub mentito colore, *perfectum* quod vocant *Tolerantismum* propugnent. „ Ex hoc nascitur, „ ait Bossuetus, quod magnos clamores tollunt, statim „ ac magistratus in ipsos animadvertere curat; sed no- „ vatoribus mens atque finis est sub specie miseri- „ cordiæ, ac Civilis tolerantiæ, Indifferentiam intro- „ ducere religionum, quemadmodum ipse Calvini „ discipulus Jurieus ultro confessus est (1) „ & confessi sunt Calvinistæ omnes, qui Amstelodami Synodum habuerunt. Etenim ajunt ipsi, docuit experientia eos qui tantam charitatem, atque misericordiam prædicabant erga Socinianos, Socinianos & ipsos fuisse (2). Quare pseudo illa Synodus Calvinianorum, non solum anathematizavit ejusmodi tolerantiæ, & misericordiæ prædicatores, verum etiam Inquisitores elegit, qui auctoritate pollerent in illos animadvertendi. Ex quo factum est, ut Calvinistæ probarent in sua communione illud Inquisitionis tribunal, quod paulo ante in communione Romana vehementer damnaverant, & iterum damnat Ticinensis, veluti duritiem, dominatum, atque conscientiarum cruciatum. Quare videtur ipse (aliter tamen credo) pari misericordia motus ac illi, qui præcedenti sæculo, ut sub specie pietatis atque misericordiæ Conscientiæ Libertatem introducerent, tolerantiam Civilem, non Ecclesiasticam efflagitabant (3). Qui ergo utramque tuetur votis omnibus

(1) Bossuet Advert. 6. citat. §. 11.
(2) Bossuet, ibid. §. 13. & 14.
(3) Bossuet ibid. §. 14.

nibus, & tam fausto omine auspicatur, caveat ne eadem præbeat indicia erroris atque perfidiæ, quæ præfati Novatores dederunt.

XXXIV. Ecclesia tamen uti pia mater antequam errantes filios anathemate percutiat, seu potius, antequam in aberrantes sic animadvertat, ut fideles suos certiores faciat de illorum perfidia & rebellione, conatur omni ratione eos allicere, corrigere, atque sanare. Quamobrem nonnisi eos, qui insanabili morbo laborare videt, quasi putrida membra gladio spirituali ferire studet, veluti postremo remedio aut curanda, aut omnino secanda, ne massam corrumpant. Est ergo modus certus in rebus religionis; & certi sunt denique fines, ultra quos rectissime novit Ecclesia, veritatem non posse consistere, atque infallibili judicio decernit, nemini licere ipsos præterire. Hujus certissimæ regulæ typum nobis exhibuit celeberrimum Concilium Nicænum, primum œcumenicum, ubi patres contra paulo ante natam hæresim Arianam, definito dogmate de Trinitate, *aliter vero sapientes, alienos esse a nostra communione judicaverunt* (1). Idem senserunt S. Optatus Milevitanus, & magnus Athanasius, qui post Concilium Nicænum observant eos ab auctore suo nomen Arianorum sortitos esse, rursusque censura feriri, abscissos, & rejectos vocari (2). Itaque non ignoratur tempus, quo Ariani separati sunt ab Ecclesia, ut perperam Ticinensis affirmat.

XXXV. Sed aliud est schisma, aliud est hæresis. Utrumque separationem præsefert, utrumque Catholicæ opponitur Ecclesiæ. Sed schismaticus vera Ecclesiæ sacra-

 cra-

(1) Concil. Roman. seu Relatio 90. Episcoporum ex Gallia & Ital. ad Episc. Illyrici apud Const. epist. Roman. Pontif. inter epist. Damas. 3. c. 1.

(2) Athanas. epist. ad Jovinian. Imper. & epist. ad Episc. Africæ Optat. Milev. contr. Parmen. lib. 4. ant. fin.

cramenta habet, & vera dogmata ejusdem; & in hoc tantum deficit, quod est a Radice divulsus, & a Matre communi alienus. Hæreticus vero in hoc peccat quod aliud ac didicit docet, & quod antea didicit contemnit. Opus igitur est ut Majorum exemplo & consuetudine, continuo studeamus ediscere quando quis ita haberi debeat hæreticus, vel Schismaticus; hoc est quando quis ita dicatur extra Ecclesiam errare, ut non tantum Ecclesia sed etiam Christianum Imperium merito possit ac debeat in eum moderate animadvertere. Nos autem tam in capite pręcedenti, quam in hoc non pauca vidimus ex Augustino, aliisque sanctis Ecclesiæ Patribus, qui sapientissime docent, quomodo se gerat Ecclesia & cum peccatoribus, qui fidem mortuam habentes, & peccantes tantum actionis errore, remanent intra claustra Ecclesiæ, & cum errantibus in rebus ad integritatem fidei pertinentibus, sed qui nondum accusatorem habent, quique nec adhuc pertinaci animositate laborare videntur: ac denique quomodo se agat cum hæreticis manifestis sive sint pacifici, sive turbulenti, non sola Ecclesia, sed quisque fidelis, & Summus Imperans, qui Catholicus sit.

XXXVI. Attamen operę pretium erit dictis nonnulla superaddere, ex quibus patebit latius qui sit spiritus Ecclesiæ. Itaque in primis nemo non scit, Imperatores Christianos post Constantinum leges continuo condidisse contra hæreticos, omnesque diffidentes in Religione, quamobrem omnes Ecclesiæ Patres gratias egisse, & laudibus cumulasse eorumdem pietatem ac religionem. Præterea neminem fugiunt Divina præcepta, præsertim vero Pauli Apostoli de vitando infidelium, hæreticorumque consortio. Cum omnibus enim hominibus, *si possibile est pacem habere* præcipit (2), sed

(1) Ad Roman. c. 12. v. 18.

sed Timotheo ait *sectare justitiam, fidem, spem, charitatem & pacem cum iis, qui invocant Dominum de corde puro* (1). Quare præcepta hujusmodi docuit Corinthios „ *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim* „ *participatio justitiæ cum iniquitate?... Propter quod* „ *exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus* (2). Ac insuper ad Thessalonicenses scribit „ *Denunciamus autem vobis fratres in nomine Domini Nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem quam acceperunt a nobis* (3) Hinc ad Corinthios ait „ *Si is,* „ *qui frater nominatur est fornicator, aut avarus,* „ *aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus,* „ *aut rapax; cum hujusmodi nec cibum sumite* (4). „ Ad Romanos vero ulterius adjunxit „ *Rogo vos fratres, ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis* (5).

XXXVII. Origenes igitur & S. Ioannes Chrysostomus ista contemplantes, præsertim expendunt postrema ibidem relata Apostoli verba, dicentes „ Hæc & „ ad eos, qui Ecclesiis præsunt, & ad omnes creden- „ tes per Spiritum S. scribere credendus est Paulus, ut „ diligentius considerent, & perspiciant, qui sint, qui „ dissensiones, & offendicula in Ecclesiis generant, „ & alieni sint ab illa beatitudine, quam Deus repro- „ misit: *Beati pacifici &c.* Hoc enim inquit, ut pa- „ cifici sitis, a Domino per Evangelicum didicistis; „ dissensiones vero commovere, vel scandala præter

 „ do-

(1) 2. Ad Timoth. c. 2. v. 22.
(2) 2. ad Corinth. c. 6. v. 14. & seq.
(3) Ad Thessalon. cap. 3. v. 6.
(4) 1. ad Corinth. c. 5. v. 11.
(5) Ad Rom. c. 16. v. 17.

„ doctrinam, quam didicistis, & ideo *alienus vobis sit, nec omnino recipiatur inter vos, qui certamina commovet, qui serit jurgia, qui lites excitat, & studia contentionis exercet* „ (1). Hęc Origenes. Chrysostomus vero ait „ Observa quam „ placide adhortetur: non in persona consiliarii, sed „ in persona domestici illud, multoque honore faciens. Nam & fratres illos vocat, & supplicat: „ obsecro quippe vos, inquit, fratres. Deinde ut & „ cautos eos, & sollicitos faciat, calumniantium dolum ostendit; tamquam enim ex se ipsis manifesti „ non sint, dicit, *obsecro autem vos ut observetis*; „ hoc est, diligenter satagite, ut cognoscatis, & perscrutemini; quos nam dicit, quęso? Eos, qui dissidia, & offendicula contra doctrinam, quam didicistis, gignunt. Ista siquidem potissimum est Ecclesiæ subversio, in partes scilicet divisam esse. „ Hæc diaboli sunt arma; hoc pacto omnia sursum, „ ac deorsum volvuntur. Donec enim unitum fuerit „ Ecclesiæ corpus, nullum valet habere introitum „ Satanas: verum a dissidiis nascitur offendiculum ... „ *Itaque non erunt offendicula, non erunt dissidia, nisi dogma quoddam excogitatum* fuerit, quod sit contra Apostolicam doctrinam; id quod & hic manifestans dicit contra doctrinam, & non dicit, quam „ docuimus, sed quam vos didicistis, anticipans illos „ & ostendens persuasos utique esse, audisseque, & „ suscepisse. Et quid faciemus illis, qui ista depravant? *Non dixit, aggredimini, & manus conserentes pugnis decertate, sed declinate ab illis*. Si „ enim ex stultitia quidem, aut errore hoc facerent, „ oportebat corrigere; quoniam vero scientes peccant,

(1) Origen. in epist. ad Rom. c. 16, lib. 10.

„ cant, *resilite alio*: & alibi hoc dicit subducite vos
„ ab omni fratre, qui inordinate se gerit (1).

XXXVIII. Quare testatur S. Optatus Milevitanus, Donatistas habitos fuisse schismaticos statim ac vel avaritia, vel ambitione, vel ira corrupti, recusarunt obedientiam prestare Episcopo suo Ceciliano, juxta canones electo (2). Sed *quemadmodum Unitas* (ait) *summum bonum, ita & Schisma summum esse malum, negari minime potest, & jam schismaticus & peccator est, qui contra singularem Cathedram, alteram collocaret* (3). Quæ vero singularis Cathedra nominatur a S. Optato, est Cathedra Romana Sancti Petri Apostolorum Principis. Itaque inter ornamenta & dotes, quæ distinguunt Ecclesiam Catholicam a qualibet hominum societate, asserit quemadmodum primam esse Romanam Cathedram, ita *prima dos* viri Catholici est communionem habere cum ipsa. „ Videndum
„ (inquit) ubi sint quinque dotes ... inter quas
„ Cathedra est prima ... Videndum est, qui & ubi
„ prior Cathedra sederit: si ignoras, disce; si nosti
„ erubesce ... Igitur negare non potes, scire te in
„ Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem
„ esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum
„ Caput Petrus, unde & Cephas appellatus est: *in*
„ *qua una Cathedra* Unitas ab omnibus servaretur,
„ ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent:
„ ut *jam schismaticus* & peccator esset, qui contra sin-
„ gularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Ca-
„ thedra unica, quæ est prima de dotibus, sedit prior
„ Petrus &c (4).

XXIX. Sed

(1) Chrys. in epist. ad Rom. c. 16. homil. 32.
(2) Optat. Milev. contr. Parmen. lib. 1.
(3) Optat. Milev. ibid. lib. 2. & lib. 3.
(4) Optat. Milev. ibid. lib. 2. cit.

XXIX. Sed cum docuerit S. Doctor hæresim posse aliquando a Civili etiam potestate licite reprimi atque puniri; hinc defendit Taurinum Comitem, & Macarium Ducem, propterea quod gladium strinxerunt contra Donatistas. *Nam* (inquit) *quædam mala male fiunt: quædam mala bene fiunt*. Verum Schismatici illi quamquam Catholicorum sanguinem fundere continuo parati essent, tamen nostris objiciebant, *neminem esse lædendum ab operariis Unitatis, nec ab Episcopis mandata Divina contemni debere, quibus præceptum est: quære pacem & consequaris eam: Pacifici filii Dei vocabuntur &c.* Igitur Sanctus Optatus respondet, in vindictam Dei aliquem interdum mereri etiam occidi. Atque Ducem Macarium, qui duos schismaticos morte mulctaverat, defendit exemplo Phinees, qui gladio percussit adulteros. „ Rursusque „ exemplo *Moysis, qui tria millia* hominum uno mo„ mento jussit occidi, Heliæ Prophetæ, qui ut pare„ ret voluntati Dei, quadraginta, & quadrigentos „ occidit. Omnes constat in eos vindicasse, a qui„ bus jussio Divina contempta est. Nam non tibi fa„ cies sculptile, non facies adulterium, non sacrifi„ cabis idolis, & non facies schisma ejusdem Dei „ præceptum est. Ergo isti omnes ideo occisi sunt, „ quia contra jussionem Dei, per quod Vates erant, „ Dei præcepta contempserant. Et illi quorum no„ minibus Macarium criminaris, nec a falsis vatibus „ longe sunt. Quia vox Dei dixit futuros esse falsos „ vates, quod proximo loco probaturi sumus, & dum „ pacem noluerunt recipere, nec in uno cum fratri„ bus habitare, contra præcepta & voluntatem Dei „ pertinaciter obstiterunt. Ergo videtis a Moyse, & „ Phinee, & Helia, & Macario, similia esse facta, „ quia ab omnibus unius Dei præcepta sunt vindica„ ta. Sed video vos hoc loco tempora separare, ut

„ alia

„ alia fuerint ante Evangelium, alia post Evange-
„ lium &c. ... Sed constat sanguine Christi omnes re-
„ demptos. Christus non vendidit quos redemit.
„ Animæ emptæ a Christo non potuerunt vendi, ut
„ possint, sicut vultis, a vobis iterum redimi. Aut
„ quomodo potest una anima duos Dominos habere?
„ Aut nunquid est alter Redemptor? Qui Prophetæ
„ nunciaverunt alterum esse venturum? „

XL. „ Querimini vos (pergit S. Doctor) sine no-
„ bis aliqua esse passos, ergo constat vos solos aliqua
„ passos; quia aliud est tempus pacis, aliud persecu-
„ tionis. Si persecutionem putatis: dicite, quid vo-
„ biscum passæ sunt universæ provinciæ, in quibus
„ est Ecclesia Catholica? *Sed quia vindicta* fuit, non
„ persecutio, solus paries passus est, cui Deus inter-
„ minatus est tempestatem, pluviam, & lapides pe-
„ trobolos, & accusationes &c. (1) „. Ut autem ostendat Optatus aliud esse vindictam, aliud vero persecutionem, animadvertit Christianos sub Macario non cogi ad templa idolorum, sed *pigros compelli ad Basilicam, & commoveri omnes ut Deus unus pariter in Ecclesia ab omnibus rogaretur* (2). Quare docet in Donatistis quinam sint hæretici non tolerandi, eosque redarguit, propterea quod abstulerant etiam id, *quod inter omnes homines solet esse commune, salutationis officium*. Docebant enim ne *Ave* quidem diceretur Catholicis. Ergo Sanctus Doctor merito carpit ignorantiam ipsorum, quandoquidem non intelligerent *de quibus* Apostolus hoc dixerit. „ *Cum his ne cibum ca-*
„ *pere. Ave illi ne dixeritis. Serpit enim eorum ser-*
„ *mo velut cancer*. Dixit hoc (Apostolus) de hære-
„ ticis, quorum cœperat illis temporibus vitiosa esse
„ doctrina: qui subtili seductione verborum, morbis
obscure

(1) Optat. Milev. contr. Parmen. lib. 3.
(2) Optat. ibid.

„ obscure serpentibus *corrumperent Fidei sanitatem*.
„ Ut Marcion, ut Hebion, ut Valentinus, ut Car-
„ pianus, ut Arrius, ut Photinus præsentis temporis
„ hæreticus, qui Filium Dei ausus est dicere tantum-
„ modo hominem fuisse, non Deum. *Potuit hoc &*
„ *de vobis dici*, quia vester sermo animis & auribus
„ aliquorum non levem intulit cancrum.... Noster
„ sermo quid tale facere potuit? Qui simplici doctri-
„ na filios pacis retinemus. *Non alios seducimus*, *nec*
„ *quemquam exterminamus*. Manifestum est igitur vos
„ contra nos quotidie scandala ponere &c. (1).

XLI. Eadem regula patet ex ea qua se gessit ratione, sanctissimus vir Martinus Turonensis Episcopus, non tantum cum hæreticis, ne morte ipsi mulctarentur, sed etiam cum malis quibusdam Episcopis, ne videretur habere cum ipsis Ecclesiasticam Communionem. Quare necesse est ut genuinam audiamus historiam. „ Congregati apud Treveros, ait Sulpicius Se-
„ verus, Episcopi tenebantur, qui quotidie commu-
„ nicantes Ithacio, communem sibi caussam fecerant.
„ His ubi nuntiatum est inopinantibus adesse Marti-
„ num, totis animis labefacti, mussitare & trepidare
„ cœperunt. Et jam *pridie Imperator ex eorum sen-*
„ *tentia decreverat*, Tribunos summa potestate arma-
„ tos ad Hispanias mittere, qui hæreticos inquirerent,
„ deprehensis vitam & bona adimerent. Nec dubium
„ erat, quin sanctorum etiam maximam turbam tem-
„ pestas ista depopulatura esset, parvo discrimine in-
„ ter hominum genera: etenim tum solis oculis judi-
„ cabantur, cum quis pallore potius aut veste, quam
„ fide hæreticus æstimaretur... Illa præcipua cura,
„ ne Tribuni cum jure gladiorum ad Hispanias mitte-
„ rentur. Pia enim erat solicitudo Martino, ut non
„ solum Christianos, qui sub illa erant occasione
ve-

(1) Optat. Milev. ibid. lib. 4. ant. fin.

„ vexandi, ſed ipſos etiam hæreticos liberaret... In-
„ terea Epiſcopi, *quorum communionem Martinus non*
„ *inibat*, trepidi ad Regem concurrunt, prædamna-
„ tos ſe conquerentes, actum eſſe de ſuo omnium ſta-
„ tu, ſi Theogniſti pertinaciam, qui eos ſolus palam
„ lata ſententia condemnaverat, Martini armaret au-
„ ctoritas.... Nec multum aberat, quin cogeretur
„ Imperator Martinum cum hæreticorum ſorte miſce-
„ re... Ac primo ſecreto accerſitum, blande appel-
„ lat, hæreticos *jure damnatos* more judiciorum pu-
„ blicorum, potius quam inſectationibus Sacerdotum:
„ non eſſe cauſſam, qua Ithacii, ceterorumque partis
„ ejus communionem putaret eſſe damnandam... Qui-
„ bus cum Martinus parum moveretur, Rex ira ac-
„ cenditur, ac ſe de conſpectu ejus abripuit, & mox
„ percuſſores his, pro quibus Martinus rogaverat, di-
„ riguntur.

XLII. „ Quod ubi Martino compertum jam no-
„ ctis tempore eſt, palatium irrupit: *ſpondet ſi parce-*
„ *retur, ſe communicaturum*, dummodo ut & Tribu-
„ ni jam in excidium Eccleſiarum ad Hiſpanias miſſi,
„ retraherentur. Nec mora interceſſit, Maximus in-
„ dulget omnia. Poſtridie Felicis Epiſcopi ordinatio
„ parabatur, ſanctiſſimi ſane viri, & plane digni, qui
„ meliore tempore Sacerdos fieret. Hujus diei com-
„ munionem Martinus iniit, ſatius æſtimans ad horam
„ cedere, quam his non conſulere, quorum cervici-
„ bus gladius imminebat. Veruntamen ſumma vi E-
„ piſcopis nitentibus, ut communionem illam ſubſcri-
„ ptione firmaret, extorqueri non potuit. Poſtero die
„ ſe inde proripiens, cum revertens in via *mæſtus in-*
„ *gemiſceret, ſe vel ad horam noxiæ communioni* fuiſſe
„ permixtum... aſtitit ei repente Angelus. *Merito*
„ *inquit, Martine compungeris*, ſed aliter exire ne-
„ quiſti: *repara virtutem*, reſume conſtantiam, ne

„ jam

„ jam periculum gloriæ, sed salutis incurreris. Ita-
„ que *ab illo tempore* satis cavit, cum Ithacianæ par-
„ tis communione misceri (1).

XLIII. Historiam hujusmodi non ignoravit auctor Operis de Tolerantia, de quo agimus; nam memorat pag. 277. & parum sibi constans; cum carpere non audeat Martinum virum tantum, quasi schismatis occasionem dederit, atque sexcenties cum repetat præcidendę Unitatis nullam extare legitimam caussam, tamen laudat non solum Martinum, sed etiam Ambrosium & Siricium Papam, propterea quod noluerint communicare cum Ithacianis; itemque ex justa misericordia Martini erga damnatos ad mortem, occasionem arripit inde pag. 281. falsa crimina objiciendi, quę vidimus cap. pręcedenti, in Sacrę Inquisitionis Tribunal. Veruntamen pag. 278. ex ejusmodi Sancti Martini historia concluserat. „ Hinc ortus est successu temporis
„ mos in Ecclesia, ut non possit Episcopus tradere Cu-
„ riæ Sæculari clericum degradatum, nisi efficaciter
„ intercedat, ne morte afficiatur. Quod si intercessio
„ inefficax prævideatur, utrum id fieri tuto possit, hinc
„ inde diu disceptatum est, donec Bonifacius VIII. li-
„ tem diremit definiendo, episcopos id agere tuto pos-
„ se, dummodo exterius intercedant, quamvis nove-
„ rint intercessionem plane nullam futuram esse „.

XLIV. Ergo scriptor ille cum agit contra Clericos degradatos, probat cum Romano Pontifice Bonifacio, quod merito ab Episcopis tradi possint Curiæ Sęculari, etiamsi mors eorum certo prævideatur futura. Sed videtur ipse contradicere sibi in gratiam hæreticorum & schismaticorum, quandoque negat licite tradi posse Curiæ sęculari, ubi prævideatur sanguis ipsorum effusio. Et quasi ageret aliquando Ecclesia accusatoris officium apud Judices sęculares, concludit pag. 280. „ Si
„ præ-

(1) Sulpic. Sever. Dial. 4. de virt. & mirac. S. Martini

„ prævideat Ecclesia ex accusatione mortem esse secu-
„ turam hæretici, vel schismatici, ab eadem abstineat
„ oportet, ut quantum in ipsa est, nullam prębeat ef-
„ fusioni sanguinis occasionem „. Forsitan recordatus non est Clericos degradari etiam propter heresim. Veruntamen concludendum erat ex facto Martini, sanctissimum virum merito sese abstinuisse ab Ithacii & Idacii communione; *quorum studium*, ait S. Sulpicius, *in expugnandis hæreticis non reprehenderem, si non studio vincendi plus quam oportuit certassent* (1). Hinc rursus damnandi sunt Ithacius & Idacius, propterea quod intercedere cum deberent apud Maximum, pro accusatis hæreticis, officium accusatoris turpiter gesserunt, hæreticorum mortem anhelarunt, ac demum Maximum incitantes contra Hispanias, ut suam satiarent rabiem, sese exhibuerunt paratissimos ad depopulandam etiam maximam turbam sanctorum, quorum vita relinquebatur arbitrio armatorum Tribunorum, qui summa potestate mittebantur, ut hæreticos inquirerent, & eosdem exterminarent: quod vehementer respuit sanctissimus vir Martinus.

XLV. Regulam prius Martino dederat S. Hilarius Institutor ipsius, quando de ea, qua se gessit ipse ratione cum quibusdam errantibus, scriptum reliquit.
„ Gravissimum fidei periculum longe antea pręvidens,
„ post sanctorum virorum exilia Paulini, Eusebii, Lu-
„ ciferi, Dionysii, quinto abhinc anno a Saturnini,
„ & Ursatii, & Valentis communione, me cum Gal-
„ licanis Episcopis separavi (1) „. Hilarium subsequitur S. Gregorius Nazianzenus, qui canones tradit, quomodo quisque Catholicus Doctor se gerere debeat cum hæreticis. Ait enim. „ Verum nos pro Christo bel-
„ lum gerere hoc argumento planum facimus, quod
„ se

(1) Sulpic. Sev. Sacr. Hist. lib. 2. prop. finem.
(2) Hilar. Pictav. contr. Constant. August.

„ secundum Christum, qui mitis ac pacatus est, atque infirmitates nostras portavit, dimicamus. *Nam* „ *nec in veræ doctrinæ detrimentum paci studemus, non-* „ *nihil de animorum contentione remittentes, ut faci-* „ *litatis & mansuetudinis famam colligamus* (non enim „ quod bonum est male aucupamur): & rursum pacem „ colimus, legitime pugnantes, atque intra limites „ nostros spiritusque regulam nosmet continentes. Ac „ de his quidem ita sentio, cunctisque animarum di- „ spensationibus rectęque doctrinæ arbitris legem sta- „ tuo: ut nec per duritiam hominum animos exaspe- „ rent, nec per summissionem elatos & insolentes ef- „ ficiant; sed prudenter & consulte in Fidei caussa se „ gerant, nec in alterutro horum mediocritatem ex- „ cedant (1) „.

XLVI. Idem dixerat oratione XII. his quidem verbis. „ Hęc fratres agamus, hoc animo simus, eosque, „ qui aliter sentiunt, ut veritatis labem, & corrupte- „ lam, quoad quidem licebit, *assumamus*, *atque cu-* „ *remus*, *incurabili autem morbo laborantes averse-* „ *mur*, ne alioquin verbum eorum ante contrahamus, „ *quam illis sanitatem nostram impartiamus*: ac Deus „ pacis, illius quidem pacis, quæ intellectum omnem „ exuperat, nobiscum erit „. Forsitan clarius Origenes. „ Hæc non ideo dicimus, ut pro levi culpa „ aliquis abscindatur: sed si forte commonitus quis, „ & *correptus*, *pro delicto semel & iterum*, *ac tertio*, „ nihil emendationis ostenderit, utamur medici disciplina. Si oleo perunximus, si emplastris mitigamus, „ si malagmate mollivimus, nec tamen cedit medica- „ mentis *tumoris duritia*, *solum superest remedium de-* „ *secandi* (2) „. Et alibi. „ Ergo quia non possumus „ ejicere (corporaliter) istos, qui nos conculcant, „ eos

(1) Nazianz. Orat. 32. ad 150. Episcopos habita cir. med.
(2) Orig. Homil. 7. in cap. 6. 7. Josue.

„ eos saltem, quos possumus, ejicimus, quorum peccata „ manifesta sunt. Ubi enim peccatum non est evidens, „ ejicere de Ecclesia neminem possumus, ne forte „ eradicantes zizaniam, eradicemus simul cum ipsis et- „ tiam triticum . . . Sunt in Ecclesia conculcantes illi, „ de quibus dicit Dominus in Evangeliis: Nolite mit- „ tere sanctum canibus, neque margaritas vestras an- „ te porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis . . . „ qui indigne audiunt verbum Dei, *& cum audierint,* „ *neque ut infideles discedunt, neque permanent ut fi-* „ *deles &c.* (1) „.

XLVII. Alia quidem sexcenta tam ex Scriptura, quam ex Patribus erui testimonia possent, ad opus de quo agimus, sed brevitatis gratia prætereo. Attamen pro commodo eorum, qui cupiunt plura ex sanctis patribus præsertim conspicere atque perpendere, operæ pretium duxi ad calcem hujus operis loca indicare, ex quibus æque ac ex iis quæ superius transcripta leguntur, perspicuum erit unicuique Ecclesiam neque errantium, neque infidelium, neque hæreticorum, sive pacifici sint, sive turbulenti, sanguinem petere, sed sanitatem. Hinc in omni spe & Charitate orat & obsecrat, & ne videatur unquam connivere & errores tolerare, docet, monet, increpat; atque donec affulgeat spes correctionis, & ex malo exemplo errantium grave scandalum non patiantur fideles, nec aliter quam secando putrida membra, possit in tuto ponere pusillorum religionem, ac Fidei depositum, patientissime tolerat. Itaque cum nullo modo patiatur errores, tolerat personas errantium, ubi errore tantum damnato, mederi aliquo modo possit malis quæ serpiunt; neque ad extrema remedia descendit, nisi quando Fides periclitatur. Atque in ejusmodi rerum

K circum-

(1) Orig. ibid. in cap. 15. Josue Hom. 21.

circumstantiis, non desinit Ecclesia interdum implorare auxilium Summorum Imperantium, a quibus cum Ecclesię Catholicæ Religio Divina coóptata sit in Religionem Imperii; qua status Reipublicæ solidatur, Imperantes jure meritoque animadvertere possunt in dissidentes in Religione, eos afficere pœnis modo levioribus, modo gravioribus; itemque datis legibus, quibus majora mala devitent, prohibere possunt, ne Religionem Ecclesiæ Christi aspernantes, quę argumentis evidentissimę *Credibilitatis* Divinitus donata est, certis geudeant honoribus atque prærogativis, quę sæpesępius molliunt animos, atque alliciunt ad veritatem suaviter detegendam, eaque cognita, lętantes in Domino, gaudeant.

XLVIII. Quare Grotius ait,, Qui vero Christia-,, nismum docentes, aut profitentes, eam ob caus-,, sam pœnis subdunt, haud dubie faciunt contra ip-,, sam rationem; nihil enim est in Disciplina Christia-,, na.... quod humanę societati nocet, imo nihil,, quod non prosit. Res ipsa loquitur, & extranei co-,, guntur agnoscere... Qui in tales sęviunt, ipsi in,, ea caussa sunt, ut puniri juste possint, quod & Thomę,, videtur. Atque eam ob caussam Constantinus Lici-,, nio, Imperatores alii Persis bellum intulerunt: quam-,, quam hęc bella magis ad innocentum disensionem;,, quam ad pœnæ exactionem pertinent,, (1). Hinc etiam Coccejus leges commendat, quas contra hęreticos ęqua, & justa severitate dederunt in quarto, & quinto Ecclesię Sęculo Christianissimi Imperatores; improbat vero uti nimis auctam pœnarum atrocitatem sæculi XII., quam ipse pro ingenio suo repetit ab Ecclesię Romanæ ambitu imperii sibi vindicandi in Reges & Imperatores: cum debuerit potius tribue-

re

(1) Grotius de Pœnis lib. 2. cap. 20. §. 59.

re ferreis, asperisque moribus ętatis illius, in qua dire tumultuantibus hęreticis, bellisque sęvientibus, facilius atque efficacius compellebantur homines ad officia formidine pœnę, quam virtutis amore, quo carebant omnino (1).

XLIX. Ex his omnibus ergo quę hucusque sive ex humana ratione, & philosophorum placitis, sive ex ratione Theologica, sanctorum Patrum, Conciliorum Ecclesię, atque Scripturę Divinæ auctoritate produximus, omnibus perspicuum esse satis superque arbitramur, quamlibet Religionem, quę non sit unica illa vera Religio nobis Divinitus data, ex natura sua Civilem Societatem potius turbare, quam perficere, nisi omnino serviat legibus Imperii; & nisi sese accommodet singulis mutationibus, ac vicissitudinibus, quibus subjacet quodlibet Imperium temporale. Ergo ex eodem principio, ex quo nascitur actu, seu *practice* ut dicitur, religionis intolerantia, oritur pariter tolerantia, si per contemplationem, seu ut ajunt, speculative loquamur. Etenim dum Imperium quatenus imperium est contemplative tolerat omnes cujusque generis sint religiones, practice vero nullam tolerat, quæ turbet publicam tranquillitatem, quęque contradicat seu pugnet cum illa, quam sibi cooptaverit. Quemadmodum ergo in qualibet Societate Civili, & mundano Regno nihil certi habetur, nihil quod non sit mutationibus obnoxium, ita & in falsa religione cuncta sunt mutabilia, & mutato regimine, ejusque natura, necessario mutatur etiam ejusmodi vana religio, & ipsius usus. Ex quo factum est apud antiquos Romanos, ut cum sæpissime religionis novitatem proscriberent, tot novos Deos, novosque Deorum cultus admissos fuisse, quot erant Dii Deęque, quæ a domi-

(1) Henric. de Coccej. Com. ad Hug. Grot. lib. 2. cap. 20. §. 50.

domitis populis colebantur. Quare sapientissime dixit Sanctus Leo Magnus, quod Roma *cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, & magnam sibi videbatur assumpsisse Religionem, quia nullam respuebat falsitatem* (1).

L. Ex nexibus igitur, quos Ticinensis auctor intercedere affirmat, nosque affirmamus Religionem inter & Imperium, quin erui possit Imperantium jus aliquod in sacra Religionis, si de unica Religione Divinitus data loquatur, & quin ipsa Civilis Potestatis debeat esse pedisequa, contrario rectissime demonstramus Civilem Potestatem, Summosque Imperantes Religionis pedisequos jure fieri debere, religioni inservire, eamque tueri atque patrocinari. Non enim Divina terrenis, aut hominibus Deus, sed terrena Divinis, cunctique homines Deo servire, & sese accommodare tenentur. Cedant ergo mundana regna æterno regno Christi, qui regna hominibns donat, ut servire faciant Ecclesię, quam acquisivit sanguine suo, & a qua Regna Mundi firmissime roborantur.

Inter Patres videri possunt S. Justin. Dial. cum Tryph. n. 35. Theoph. Anthioch. ad Autolyc. lib. 2. n. 14. Irenæ. advers. hęres. lib. 1. in prefat. & in cap. 24. lib. 3. c. 15. lib. 4. in prefat. Tertull. in lib. de Prescript. pass. & in Scorpiac. cap. 1. 2. 3. Clem. Alex. Strom. lib. 1. & 3. & in Pędag. lib. 2. Constit. Apostol. lib. 6. cap. 1. & 18. apud Cotel. Patr. Apost. Cyprian. epist. 40. ad Pleb. epist. 55. ad Cornel. Contr. Florent. Schismat. epist. 69. In libro de Laps. de Unit. Eccles. & alibi pass. Athanas. contr. Arian. lib. 2. epist. ad Adelph. & super Decreta Synod. Nicęn. In vita S. Antonii, & in lib. 1. ad episcop. Ægypti & Lybię. Basil. epist. 301. Diaconissis Florent. Comit. filiabus. Chrys.

(1) Leo Pap. Serm. 1. in Natal. Apost. Petr. & Paul.

Chryf. hom. 47. in cap. 13. Matth. Innocen. Pap. I. ad Carthag. Concil. epist. 29. cap. 2. & 3. & ad Hieron. epist. 34. Celest. Pap. I. ad Joan. Ruf. & Flavian. epist. 12. cap. 2. & ad episcop. Gall. epist. 21. cap. 2. Cyrill. Alex. de adorat. in Spirit. & Verit. lib. 12. & in Levit. lib. 1. & alibi pass.

F I N I S.

INDEX CAPITUM

Quibus Tractatus hic absolvitur.